P

Per

Auth

Sumpti

PERSPECTIVA POLITICA REGNO POLONIÆ ELABORATA.

Per quam, quid, & qualiter, Regibus & Regno proſpiciendum ſit: de longe tanquam de proximo facile cognoſces.

Authore ANDREA DE PILCA, Corycinio Caſtellano Viſlicenſi.

Opus poſthumum.



DANTISCI,
Sumptibus GEORGII FÖRSTERI, S. R. M. Bibliopolæ.
M DC LII.
Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Sueciæ.

Authoritate Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, D. Loci-ordinarii Liber inſcriptus Perſpectiva Politica, ab Illuſtri & Magnifico D. Andrea de Pilca, Korycinski Caſtellani Wiſlicenſi editus, in quo nil Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium judicio Cenſorum ad id deputatorum inventum, ut ad utilitatem publicam imprimatur præſentibus facultas datur. Anno Domini 1651, die 25 Maji.

Iuſtus Slowikowski Canon. & Archipr. Cracov. Illuſtr.^{ma} & Rever.^{ma} Celſit. Suæ cauſarum Auditor Generalis.

STEPHANO DE PILCA,

Corycinio Oſviecimenſi, Oicovienſi, Volbramenſique

PRÆFECTO, &c.

Patruus Salutem.



Vm te chare Nepos, Majorum Tuorum orbita currere; præcipue vero Parentis Tui Optimi, Caſtellani olim Sadecenſis, magni in Republica Viri, veſtigiis inſiſtere videam; nullamque præterire occaſionem bene de Patria merendi, operæ prætium cenſui, Tibi qui, Amor & Spes Gentis Tuæ es, eo præſertim tempore, quo Sereniſſimo V L A D I S L A O I V. *Regni hujus vere Magno Principe, nuper è vivis ſublato, ad novum eligendum, VVarſaviam, cum aliis Tuis Concivibus, utriuſque Ordinis confluxiſtis, laborem meum deferre Patruum, Perſpectivam nimirum Politicam, à primis Reipub. Polonæ inſtitutis, modernis uſque temporibus Principum Electioni accommodatam: Hinc*

Tu disces, quid Tibi in tali Patriæ orbitate sit amplectendum, quid fugiendum, quidve sequendum suadeas; Præstruunt enim ad tantos Fasces ordinandos viam, ipsorum Historicorum Regni hujus præscripta, atque demum ex his, moralis quidam, prout iidem facem prætulere, politicusque contextus. Neque vero mirere, ea me Tibi scriptis prodere, quæ viva voce depromere debuisse forte existimabis; Sat enim te adhuc juvene, ac in arena literaria luctante, per me in similibus quoque desudatum. Nunc cum me, totis pæne viduatum viribus, jamque prope septuagenarium, ad tranquilliorem quietem, tot malis gravida cogat ætas, non inficiaberis ut opinor senectuti, memori illius Horatiani:

Mitte senescentem mature sanus equum; Ne
Peccet ad extremum ridendus ——

Vale, & si lubet fruere. Cracoviæ.

Tuus à corde

ANDREAS DE PILCA,
Corycinius Castellanus Vislicensis.

PERSPECTIVA POLITICA

Regno Poloniæ elaborata.

Per quam, quid, & qualiter, Regibus & Regno proſpiciendum ſit: de longe tanquam de proxime facile cognoſces.

DE QVO SIT CAPVT VNICVM.

Non bene Regnum Polonum in Succeſſione Regum fundari, docuit in ſtirpe Lechi, prima Imperii Poloni conſtitutio.



On omnis Ramus frugi ex Arbore fælici enaſcitur.
Pullulant ſæpe, ex optima radice Stolones.
Ex ipſa Aurelia ac Fauſtina vite
Ferrea & infauſta, enata eſt progenies.
Incommoduſque Commodus.
Proh? quot incommodos Reges tulêre Imperia?
An quia? Non ex quolibet ligno fit Mercurius?
An quia? Hæreditas Imperii facilior quam Virtutis?
An quia? Vbi pro libitu voluntas regnat,ibi Virtus degenerat?
Vin vernaculos Commodos?

Lechicam ſtirpem habes, quæ Imperio Polono, centum quinquaginta annis ſuccedendo, nihil profuit, multum obfuit.
Parentis optimi eluſit expectationem à Monarchia in Tyrannidem degenerans.

Facilis tranſitus à Monarchia ad Tyrannidem.

Vel quia Non patitur & temnit ſuprema Fortuna monitorem?

Vel quia Si violandum eſt IVS, regnandi gratia violañdum?

Vel quia Privati facilior eſt cura quam Publici?

Vel quia Vbi Monarchia, ibi ſuſpiciones: ubi ſuſpiciones ibi Tyrannis?

Præeat detque fidem Dlugoſſius.

Gradum ad Tyrannidem LECHI nepotibus Opulentia fecit.

Qui morbus plerumque Monarchicus eſt:

An quia? Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur Opes?

An quia? Lucri bonus odor ex re qualibet?

An quia? Paucos Marios, Æmilios, Curios numeravêre Monarchi.

Audio te mi Dlugoſſi, loquere ultra:

Properarunt in Lechitis tyrannidem, Suſpicio, Invidia, Naturæ inclinatio;

An quia? Hæ ſunt comites inclinantis Fortunæ?

An quia? Mores Tyranni etiam Amicis non fidunt?

Claudianus. An quia? ———— ſors iſta Tyrannis
Convenit, invideant claris, forteſque trucident,
Muniti gladiis juvant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

Pergit Hiſtoricus.

Superbia Lechitarum faſtidire cœpit Polonum ſanguinem:

Vel quia? Nauſeat omnia Tyrannis, ſibique ipſa diſplicet?

Vel quia? Temulenti eſt nauſeare, qui autem Tyrannus eſt, temulentus eſt, quia ebrius humano ſanguine eſt?

Vel quia? Non bene conveniunt, liberæ ſanguis venæ, & Tyrannis?

Dlugoſ. Lechitæ (inquit) Optimis infenſi, deterrimis Amici:

Et hic nævus Tyrannidis eſt.

An quia? Simile ſimili gaudet?

An quia? Veritas, quæ nonnisi optimi Oris filia est, odium parit?
An quia? Improborum adulatio, dulce nutrit malum?
Quaslibet criminationes facile admiserunt. *Dlugos.*
An quia? Eloquentior est plerumque in Aulis Principum Improbitas quam Probitas?
An quia? Suspiciosorum, in criminationes semper aures patulæ?
Iura Patriæ labefactarunt: *Dlugos.*
Leges etenim Aranearum telis similes sunt, Iros impotentiores stringunt, à Cræsis & Tyrannis labefactantur.
In confiniis Patriæ, Socordia & Ignavia, gnaviter vigilabant: *Dlugos.*
In aula Venus Ius Principi, populis Anomia dabat, omni in re voluntas pro arbitrio erat:
Nunquam bene paruit Sardanapolo Polonus;
Quia vita carere Viris, quam tam delicato Imperio obtemperare satis.
Habent hic quod discant Principes:
Primo Polonos indigna judicasse, Tyrannorum & Effæminatorum Principum nomina quæ viverent: ut qui non essent Virtutis, nec essent immortalitatis Paternæ hæredes.
Secundo Polonos pertæsos Tyrannidis, Monarchiam in Aristocratiam commutasse, sub qua libere pareretur.
An quia? Tum maximè excutitur jugum cum premit?
An quia? Polonus semper appetens Libertatis?
Stirpitus à Deo sublatam stirpem Lechi: *Dlugos.*
Vel quia? Voluit Deus Polonos Regi parere non Tyranno?
Vel quia? Oportebit sine excusatione, supervenire interitum, exercentibus Tyrannidem? Sap. 16.
Libet hic adhuc audire loquentem DEUM & claudere.
Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur: Non
credit,

credit,quod reverti poſſit de tenebris, ad lucem, circumſpe-ctans undique gladium: Cum ſe moverit ad quærendum pa-nem, novit quod paratus ſit in manu ejus tenebrarum dies: terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum. Iob. xv.

Claudo

Sic mutat ſceptra DEVS.

ARISTOCRATIA

Sive Prioris Reipublicæ formæ, in duodecim Palatinorum regimen mutatio, quæ, quantaque mala Regno attulerit, intelliges.

CAPVT I.

NOn ſolum Honores mutant Mores, ſed etiam mores mutant honores.

An quia? Vt honorum faſtigium licentiam, ſic licentia morum faſtidium parit?

An quia? Mutati in Honore mores,non honori ſed oneri ſunt?

An quia? Mores improbi, ac pernicioſi Principis, morbi ſunt Principatus?

Vel quia? Regis ad exemplum totus componitur Orbis?

Vel quia? Morbus Regius ſeu Ictericus, nonniſi in toto regnat corpore, & nonniſi omnibus nocet membris?

Quo morbo hactenus laborabat Polonia.

Dlugoſ. Morbi autem erant; Invidiæ, Suſpiciones, Faſtidium ſubditi, Anomia, Venus, Oppreſſio tenuiorum.

Qui morbi, non ſolum erant morbi Regii, & Tyrannici, ſed etiam morbi Principatus.

Itaque providendum erat à Polonis morbo, non tam venienti, quam inhærenti, & vel curandi, vel immutandi mores Principum, morbi tyrannorum & Principatus, qui immutari

tari non poterant, nisi Imperii forma mutaretur; Mutare potuit, Exilium, gladius, ut in Tarquinio, ut in Iulio Cæsare; sed noluit Polonus unquam agere Brutos in Principes, noluit Cassios, noluit ut aliquid recentius dicam

Gallorum Regum parricidas.

Sed fatis ipsis premendi erant Tyranni & opprimendi, ac victrice servitutis patientia; per quam

Dedit DEVS his quoque finem.

Præcedat uti cæpit Dlugosius

Stirpe noxia corpori innoxio, è vivis sublata radicitus, abrogante DEO laboranti Patriæ consultatio, pereunti mutatio, servienti libertas, opem ut attulit, respiravit.

An quia? Hæc sunt antidota periclitantis spei publicæ?

An quia? Animos Polonos, facilius ligant in consilio, consortia damni?

An quia? Vt fatale est Monarchiæ, mutari in tyrannidem, sic fatale tyrannidi mutari in Aristocratiam, aut Democratiam?

An quia? Sola libertas, mederi potest Servituti?

Primi Polonorum Proceres & Nobilitas Gneznæ deliberarunt. *Dlugos.*

Cur non & Plebs?

An quia? Semper vulgus & plebem, seu Roma Quirites, exclusit à Consiliis Polonia?

An quia? Bestia multorum capitum cum sit Plebs, ideo ejus consilium instabile, varium, desultorium, precibus & precio obnoxium?

Cur vero Gneznæ?

An quia? Hæc tum Regni Regia, & meditullium, quod semper aptum consultationi?

An quia? Vbi corpus primum formabat Reipub. Lechus, ibi æquum fuerat Aquilas congregari?

Disce hinc primo à Senatore & Equite consultatum de Principe eligendo.

Diſce ſecundo : Antiquitatem , Ordinem , Diſtinctionem primamque in Electione liberam vocem Nobilitatis & Senatus.

Conſultatum inibi : An mutandus, an retinendus,antecedens Imperii ſtatus.

En tempora, oportuno Conſilio, temperata :

Retinendum ſi quidpiam ſuaſit : Suaſit potiſſimum Lechi memoria meliorumque.

Mutandum multa : Tyrannis , Oppreſſio , & alia de quibus ſupra.

Concluſum : Abolendum Imperium, Monarchiæ,Tyrannidis.

An quia ? Antiqua gravedinis recordatio , novum jugum diſſuaſit ?

An quia? Iugo ſolutis,facilius eſt tueri & amplecti Libertatem?

Meliores ex Lechitis viſi : Quos vel Error , vel Fortuna nunquam decepit.

Et qui vellent & poſſent primi pro Patria ſumpſiſſe labores :

Ac eos monſtrarent tolerare , non juberent.

Diſce : Quod in Rege Miles ſemper placuit Polonis, ſemper enim generoſum ſanguinem , pacis otio , belli negotia decuit prætuliſſe :

Cromerus. Placuit autem inter bellatores maxime Viſi mirus.

Cui ſoli Fortuna nomen non invidit ; Primus enim docuit navibus pugnare Polonum poſſe : Syuardi Danorum regis victor : Daniæ expugnator , triumphator, regnator : Gedanenſis Vrbis creator.

Hujus ſimiliumque Virtus militaris, ſuaſerat retinendam Monarchiam, non tamen perſuaſerat.

Plures enim è Lechitis , in ſumma Fortuna , abrepti fuerant licentiæ ventis.

An quia ? Non ad metam publici boni collimabant ?

An quia ? In Imperio, nonniſi imperium cogitabant ?

An quia ? Magni magis quam Boni audire deſiderabant ?

An

An quia? Domini potius videri, & ſalutari, quam Patres voluêre?

Ideo diſplicuere: Faſtidit enim Polonus Principem, cui illud non convenit æqua lance utrumque & rector bonus, & bonus Imperator.

Non autem bonus, qui Tyrannus; qui quia plures in Lechitis, ideo diſplicuit in illis non Principatus ſed Tyrannis.

Cujus Tyrannidis potiſſima radix, quod hactenus Princeps, è Principe naſceretur, iſque primogenitus, ad mentem Lechi, & primorum Procerum. *Dlugoſſius. Cromerus. Miechovita.*

Diſce: In ſucceſſionibus Polonos ſanguinem primogenitum coluiſſe, maxime ſi Virtus privilegio Naturæ reſponderet:

Idque Quia ſic Ius naturæ, Mos gentium, & tempora voluêre:

Lechus autem ſic voluit.

Vel quia? Ordini ſanguinis providendum fuit: Nepotibuſque uti Magneti parentalis providentiæ?

Vel quia? Minore diſcrimine ſumi putabant Principem quam quæri?

Vel quia? Diviſa Imperii ſpes, dividit animos Imperiorum?

Votis optimi Patris reſpondit Patria.

Dum natos, nepotes, pleroſque & plerumque improbos, ac Tyrannos centum quinquaginta annis toleravit. *Vapovius.*

Deinceps, ut Electio optimum Principem inveniret, placuit non potentiam in Principe, quam firmat ſucceſſio, ſed in Principatu, quam firmat Electio, ſtabilire.

Concluſum igitur: Abolendam Succeſſionem nutricem Tyrannidis.

Conſultatum de Electione: An Extraneo Sceptra deferenda, nec ne?

Affirmantibus aliis.

Vel quia? Cechi & Ruſſi propagini, Sceptra deberi videbantur?

Vel quia? Paritas multorum, difficilem faciebat Electionem Indigenæ?

Negantibus aliis.

Vel quia? Rerum hominumque peritum, Principem esse oportet, talis autem Extraneus non est.

Vel Ne morum novitas Exteranei Principis Reipub. formam perturbet?

Vel Ne Potentia Externi Principis, imminueret crescentem Rempub. Polonorum?

Vel quia? Et parere, & Imperare semper valuit, si voluisset Polonus?

Conclusum: Non quærendum esse Externum ad sceptra Polona Principem.

Consultatum: Quis ex Indigenis eligendus?

Multos Candidatos fecerat æqualitas; Morum, Opum, Nobilitatis.

Cromerus. Quid ergo? In pari multorum dignitate, variabant sententiæ.

An quia? Vbi parilis ambiens potentia, ibi difficilis unius Electio?

An quia? Factiones Procerum, tum primum in partes distraxere Nobilitate?

Disce: Ingeniosam in damna publica, ob privata commoda, semper fuisse, Ambitioni conjunctam potentiam.

Quid multis? Locus fuerat dandus, in duodecim Factionibus Imperio Aristocratico.

Et dum unius quæritur Principatus, duodecim placent Optimates, è toto Procerum numero.

Conclusum ergo: A proceribus regendam esse Rempublicam.

Sic igitur: sive Fatum, sive Tyrannis, sive Libertatis appetentia, sive Novandarum rerum studia, sive paritas volorum;

Transformarunt

Monarchiam in Aristocratiam,

Tyrannidem in Optimates,

Princi-

Principem in Principes,
Vnum in Plures:
Et non jam ex unius, ſed ex plurium arbitrio, à ſocio pependit dulce libertatis forte, Imperii nomen:
Forſan quia? Miſceri quondam debuit Polonum Imperium è Rege ac Optimatibus,
Ideo prius utriuſque formæ ſeparata probatione, præludere Fata debuêre.
Nec Ariſtocratia Monarchicam expungit adminiſtrationem, ſi glutino libertatis ad invicem coaleſcant.
Redeo nunc ad deliberationem de Principibus eligendis, & deliberationis fines propono.
Ex his
1. Bonum publicum,
2. Conſervatio integritatis Regni,
3. Honor Imperii Sarmatici,
4. Reipublicæ gubernatio,
5. Iuſtitiæ & Legum Adminiſtratio,
6. Officiorum Publicorum functio,
7. Cura deſignatæ Regionis,
8. Belli copiarumque ratio,
9. Libertatis defenſio,
10. Status reformatio;
Habes fines Electionis.
Tranſeo ad media his finibus ſubſervientia: Nimirum Mores, Leges, Conſuetudines.
De quibus conſultatum; An veteres Monarchicæ abrogandæ, nec ne?
Viſum Conſultoribus; Non omnes abrogandas: Sed quæ
1. Nocerent Libertati,
2. Faverent Servituti,
3. Saperent Iugum,
4. Servirent Licentiæ,

5. Nutrirent odium commune,
6. Extinguerent Bonum publicum,
7. Augerent privatum,
8. Redolerent Tyrannum,
9. Exercerent potentiam ſupra mediocritatem.

Vel per quas Quicquid aliis non liceret, Tyrannidi liceret.

Vel per quas Quod non potuerunt, poſſe voluerunt, qui nimium potuerunt.

Vel in quibus Non Vis, ſed Ius & Mens Tyranni regnaret.

Vel quæ, Reverentiam terrore, aut amorem humilitate captarent. Ita fecit Roma: Prius abrogavit Reges, deinde abrogavit Regum leges: Lege Tribunitia decernente; Ne deinceps Reges & Regum leges Romæ eſſent, vigerentque.

Vel quia? Malorum medicorum ſuſpecta eſt medicina?

Vel quia? Ius illud Regum, pro uvis tulerat labruſcas?

Vel quia? Leges è nomine improborum Regum invidiam contraxerant?

Abrogatis Tyrannis & Regibus & Legibus.

Conſultatum: Quæ leges poſſent eſſe ad finem conſequendum oportunè.

Actum hic ad mentem rudis, & agreſtis ſæculi:
Aureæ libertatis, Ariſtocratiæ, Neceſſitatis:

Ita modus eſt ſceleri poſitus; Et ex malis moribus, bonæ leges exortæ.

In his fundamenta poſita Libertatis.

Mens, animus, conſilium, ſententia Poloniæ explicata.

Conditæ { Quæ juberent: Honeſta, Æqua, Vtilia;
Quæ vetarent Indecentia, Iniqua, Inutilia.

Conſtituta quæ ſequuntur:

1. Vt duodecim Viris adminiſtratio Reipub. committeretur, belli paciſque tempus.
2. Vt horum quilibet ſuæ quiſque Satrapiæ præeſſet.
3. Vt iidem Duces belli, & copiarum eſſent.
4. Vt ex proceribus legerentur.

5. Vt Procerum Optimi, Sapientiſſimi, Nobiliſſimi, Ditiſſimi,
6. Vt eorum Dominatus, aliorum ſurrogatione, neceſſitate vel utilitate poſtulante, ſuppleretur,
7. Vt idem illis Imperii qui & Vitæ terminus eſſet,
8. Vt pœnes eos, omnium quæſtionum, injuriarum, differentiarumque deciſio & punitio eſſet.

His inſtitutis, legibuſque non ſolum reformata, ſed & ab integro formata, ſtetit Reſpublica aliquamdiu, ſtabilita legibus & libertate, ſatiuſque viſum Nobilitati Polonæ, parere Legibus quam Regibus. *Dlugoſ.*

An quia? Polonus ſolam Legem veretur & colit in Principe:
Ideo prius hic Leges conſtituit, deinde Interpretes
legum eligit.

An quia? Non Lex Regis, ſed Rex Legis gratia inſtitutus eſt? *Orichovius.*

An quia? Mens prius Regni debuit eſſe, quam Mentis interpretes?

Intuere in ipſis Poloniæ faſciis, Auream Libertatis infantiam.

Vide

Vt Naturam ſecuta Ducem, ruditas ſæculorum, non Vlpianos, non Trebonianos, non Machiavellos, non Callimachos, non Tyrannorum Paraſitos,

Principes libertatis prius quærit, eoſque Cæcos, Surdos, Mutos.

Leges nimirum:

Hæ enim ſolæ imperant Polonis: Vt autem vivacius regerent, addit Polonia illa ætate, Oculos Aures bis biſſenas, linguas duodenas:

Sed cur tot numero?

Vel quia? Plus poſſunt duodecim linguæ, aures, & oculi, quam lingua una, Aures duæ, Oculi duo.

Vel quia? Vnita Virtus fortior, dum omnes volunt, ut unum velint, unum ſapiant, unum loquantur, unum videant, unum audiant.

Hunc

Hunc prima Libertas attigerat, gradum fœlix si diu
Legum Principatu viguisset.

Conclusum. Has aliasque Leges (quæ Posteros effugêre) servandas ab omnibus esse.

Desiderabit adhuc Lector Legum & harum Constitutionum rationes.

Addo Tu æstima & dispice. Neq; enim subactam viam calco
Nulla his fax, nullum prævium lumen, tamen accipe.

Cur electi Duodecim?

Novum ne id placitum Eligentium? An vetus sub Monarchis nomen & officium, nunc adauctum legum custodia?

Cromerus.

Vtrum vis amplectere. Id factum reor.

Vel quia In tot proceres partitus fuerat suam Lechus Monarchiam,

Vel quia Vnius Imperium hactenus omnibus gravedini fuerat,

Vel quia Multis hostibus incincta Polonia, multos defensores requirebat,

Vel quia Ita fieri suasit, paritas notorum Eligentium, & æqualitas dignitatis, probitatis, ac opulentiæ Candidatorum,

Vel quia Secuti exempla Romanorum in Decemviris,

Vel quia Fortuna Imperii Poloni longe lateque diffundebatur.

Nosti numeros Arithmeticos Astronomicos.

Gradus ad calculos voca.

Miechovita.

Incipe ab occasu secundum cœli longitudinem, A gradu 32.
Tanaim versus usque ad gradus 60.
Tantum enim in longum quondam patuit Polonia,

Hos gradus partire in miliaria, invenies 420.
Vni enim gradui 15 miliaria Germanica correspondent.

In latum vero Si incipias à montibus Sarmaticis usque ad mare Baltheum, à gradu 49 usque ad gradum 57 invenies miliaria 120.

Ne igitur mirêre tot Optimates electos, vix enim unus tanto par Imperio visus.

Ius

Ius enim dicendum erat Germaniæ, Daniæ, aliiſque non Provinciis ſed Regnis, quæ Polona ſub ſceptra & arma ierant.

Sed cur belli paciſque tempore iidem? *Cromerus.*

Fatale eſt ſapere vetuſtati. Intellige. Vel alternâſſe Ducis & Iudicis officium, Vel diviſam aptitudinem fuiſſe, in ſex Bellatores, & ſex Quæſitores, Vel Partes Iudicum cum bellarent, vicario Iudicio & ſuccedaneo ſuppletas fuiſſe.

Tranſeo ad aliam legem.

Cur hi Palatini tantum è Proceribus lecti, cur etiam non ex Nobilitate?

An quia Aureos illos antiquitatis mores, jam incipiebat trahere in partes vis factionum,

An quia Proceres præcipua Nobilitatis columina,

An quia Senatum & Nobilitatem, nunquam diſtinxit Æqualitas ſed Officium.

An quia In Procerum nominibus, non Ambitio, non Largitio, non ſolæ Divitiæ, ſed Virtus, Probitas, Rei militaris ſcientia triumphabant.

Sed de hac Lege ſatis.

Venio ad aliam. Cur placuit ſingulos Palatinos, ſingulis Satrapiis præponere?

Mentem antiquitatis aperiam. Inferre ſuſpicionem ibi licet, ubi vetuſtas poſteris invida, actionibus publicis tenebras quæſivit.

Ita factum reor, ſingulas ſingulis Palatinis ex æquo Regiones determinatas eſſe, ut quilibet eſſet Pater, Caput, Lux, Mens, Dux, Iudex, Arbiter, ſibi definitæ Provinciæ.

Hanc rexiſſe ad communem mentem Regni, ad commune placitum totius Nobilitatis, & reliquorum Procerum.

Ita quodlibet Aſtrum ſuæ plagæ luxit, non tamen alteri, Non licuit, quia non decuit, permutato lumine aut vicario fungi.

Sed nec Terram aliter proceres Aſtrici illuſtrant, niſi Errones

ſeptem excipias, quos maximè conſtat in eo errare, quod nulli certæ parti in Orbe luceant.

Nec mala illa Ordinis conformandi ratio & regula Nemo ſe in alterius officium ingerat,ac in alienam meſſem immittat falcem,maxime vero in Politicis. Sat multa & multos is regit, qui bene novit regere.

Nec ſat fuit Palatinis ſuam luſtraſſe Regionem & illuſtraſſe luxere hæc toti Poloniæ ſydera.

Quomodo? Quotannis putarem Gneznæ in Comitiis. Vbi proſpiciendum fuit ab Oculis pluribus, uni Menti, Legibus, Regno.

Quid ibi? Data ratio Adminiſtrationis Nobilitati præciſis Exceſſibus Defectibus.

Redditus medio (id eſt) juſto, ſuus vigor (id eſt) honor.

Habes conjecturam. Quæ ſequitur Lex eſt Tertia.

De qua quærimus? Cur iiſdem Palatinis ratio belli commiſſa? & quis hac in re modus?

Hic enim ſemper oculos aureſque vigilantes voluerunt Poloni, & non tantum linguas Regni & Legis, ſed & manus Legis eſſe ſuos Principes voluêre.

Præclare

Qui recturus es Poloniam intende. In pace lingua Regni & Legis eſſe debes, in bello manus.

Segnes viſæ fuerant Tyrannidis ſucceſſivæ manus ideo delectæ ſunt plures.

Vt eſſent indefeſſa potentia. Recenteſque viri, recenteſque vires.

Modum adhuc quæres? Copias ducendi, Bellandi?

Hinc enim, Nomen videntur duxiſſe Polonorum Woicwodæ? id eſt, Bellorum Duces?

Et hic opus conjectura Suppono. Vbi major vis erat ibi promptior Regni manus, Duciſque munus.

Ipſe præibat. Non ad ſpeciem virtutis fax, ſed genuino Martis exemplo. Ipſe

Ipſe manu ſua, pila gerens, præceſſit anheli
Militis ora pedes, monſtrans tolerare labores. Claudianus.

Cætera quæ ſopivit vetuſtas nunc tacebo.

Moveo calamum ut quintæ Conſtitutionis mentem aperiam.

Duo hic in Palatinis officia conſidero Imperatoris & Iudicis.

Vtrique neceſſum eſt, ut ſit Optimus, Sapientiſſimus, Ditiſſimus, Libertatis defenſor ſtrenuiſſimus.

Imperator Anima belli eſt Iudex Pacis vita, ſpiritus.

Majores ergo illi noſtri, voluêre in Palatino quolibet Imperatorem Optimum.

Ita & Cyrus. Non cenſebat convenire cuiquam Imperium, qui non melior eſſet iis quibus imperaſſet.

An quia non poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet,

An quia Tutiſſimum illis viſum, in virtute Ducis ſpem poſitam habere.

Loquar ore Tulliano. Quanta innocentia debent eſſe Imperatores,

Quanta omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanta humanitate?

Si ſolum habeat Imperator, laborem in negotiis, fortitudinem in periculis; induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo.

Bonus eſt, non tamen adhuc Optimus.

Optimus, Cujus in Exercitu non veneunt Centuriatus. Quem. Non avaritia ad prædam. Non libido ad voluptatem. Non amœnitas ad delectationem. Non labor ad quietam, à propoſito curſu bellandi avocare potuerunt.

A cujus militibus nulla vis affertur. Qui milites ſub Aquilis non ducit. Quorum lingua vana, manus rapaciſſima, gula immenſa, pedes fugaces, quæ honeſte nominari non poſſunt. Inhoneſtiſſima.

Breviter. Qui non ſint lepores galeati, hirudines ærarii; Qui non cum Regibus pictis, luſoriiſque Fortunam experiantur. Qui non ſuper menſa debellent Alexandros, vitreos vinaceoſque, teſſeraſque ſignent non in abaco, ſed in campo. Qui non agant prædatores è ſociis, populatoreſque terræ, quam à populationibus debent vindicare.

Sed alias plures optimi Ducis militumque notas, licet nec hi vani colores.

Ad Iudicem propero, Quis Optimus dicendus?

Sumo ſigna Optimi Qui non ſolum judicat, ſed & vivit ad mentem Regni & Legis.

Ex Auguſtino Qui vera non credit, licet vera ſint, niſi talia demonſtrent.

Ex Ambroſio Qui Iudicans de alterius errore, non habet in ſeipſo quod condemnet.

Qui in ferenda ſententia, nullo odio, nulla offenſione, nulla levitate ducitur.

Qui nil præparatúm, & meditatum de Domo defert ad Iudicandum.

Qui ad naturæ mentem decernit, obſequitur legibus non adverſatur, exanimat cauſæ merita non mutat.

Ex Gregorio Qui in præferenda ſententia nunquam præceps Indiſcuſſa temere non judicat, quibuſlibet malis auditis non movetur.

Ex Alano Apud quem NVMMVS non loquitur, Quem non vincit Pecunia.

Ex Phocydide Qui faciem non judicat.

Ex Horatio Qui honeſtum prætulit utili, Et rejecit alta Dona nocentium.

Ex Lucano Qui dante rabula, non capit quam non habet Iram, neque permittit, ut affectum victrix ducat Loquentia.

Diſce. Optimus olim Iudex ſine Cauſidicis, nec forum fuerat muricibus ſtratum.

 Redeamus

Redeamus calame ad Imperatorem.

Appinge ei ſecundum è Quinta conſtitutione colorem Divitias.

Indagemus. Cur eas in nomine Imperatoris quæſivit Polonus?

An quia Pecunia Amicos militeſque facile parat, paritque?

An quia Imperator, qui dives eſt, minus inhiare viſus prædæ, minus alieno,

An quia Ærarium Regni, Tyrannidis luxu exhauſtum fuerat?

An quia Multa bella gerenda, Nervis indigebant Militiæ,

An quia Exactionibus providendum fuerat, quæ ſub Tyrannis Rem Polonam afflixerant.

Cur vero Iudices divites?

Magna ratio & ſola ſufficit. Ne vigerent Corruptio & Avaritia omnium vitiorum radices.

Electum igitur & approbatum in duodecim Proceribus lumen Virtutis vidimus ſupra & legimus.

Simul ac Optimatium ſtatum & Ariſtocratiam. Quæ niſi optimos veneratur & ſequitur. Nunc junctas & Divitias monuimus.

En paucorum Imperium, en Oligarchiam. Miſcere voluit cum Auro Polonia Paupertatem.

Poſſunt tamen, ſi vinculum addas Bonum publicum.

Diſce. Virtutem nunquam excluſit à Sceptris Polonus, excluſit Divitias.

In Piaſti paupertate.

Eas conjunxit in Palatinis cum Virtute. Novam compagem in Sceptro Virtutis & Divitiarum meditatus, nimirum Ariſtoligarchiam.

Monſtrum dices?

Non tam Vir probus Dives, quam Dives probus.

Aureis tamen illis ſæculis frequens miraculum.

Diſce & pondera. Quale Sceptrum Polonis confixit tunc ipſa Natura, & quam bene.

Sed Tertia qualitas Procerum nos ad ſe vocat Prudentia, Sapientia.

Hæc Iudici neceſſaria. Cyclops Lipſio Poëticus, Princeps ſine Prudentia.

Parum dixit Belgii ſol & lumen Addo. Ipſa cæcitas eſt, tenebræ ipſiſſimæ.

Et potior hæc pars in Palatino viſa fuerat Nobilitati.

Non enim. — — Solis viribus æquum,
Credere, ſæpe acri potior Prudentia dextra.

Maximam enim Artem tractat qui Iudicat hominem.
Sapientiſſimus Iudex eſt qui Iuſtus eſt.
Et qui Pauciſſimis Legibus utitur.
Et qui Breviſſimo compendio Iudicat.
Et qui Oleum gladio ſcit temperare.
Et qui Aure utraque Forum excipit.

Sed & Sapiens Imperator ſit neceſſe eſt. Sic & Arpinas noſter.
Scientiam rei militaris requirit in Imperatore, cum illo ſapere mens eſt.

Vel quia Mens una Sapiens, plurium vincit Manus.

Vel quia Plura in ſumma Fortuna auſpiciis vel conſiliis, quam telis & manibus geruntur.

Quis igitur Sapientiſſimus Dux? Qui & peritiſſimus,
Qui & providentiſſimus.

Peritus ille, Qui plures per Provincias ſtipendia explevit.
Quem in omni genere Belli Fortuna exercuit.
Cui probe notum. Quis Agminis Ordo, quæ cura explorandi.
Quantus Vrgendo trahendoque Bello modus.

Providens ille, Qui loco opportuno committit ſe Fortunæ non pondere affectus ruens.
Et cui illud Auguſti Octaviani in factis Feſtina lente.
Et qui Tum temnit Hoſtes, dum cavet.

Et qui Interdum cum Fabio Rem cunctando restituit.
Interdum cum Minutio Prælia urget properando.
Interdum cum Cæsare Venit, Videt, Vincit.
Et qui ut breviter dicam Sciat probe; Quantum differant.
Agere Temere & Festinanter. Et ubique locorum.

Tempora Tempore Temperat.

Sat de Sapientia.

Propero ad Nobilitatem.

Voluit Antiquitas Imperatores Polonos Nobilissimos voluit & Iudices.

Pono utrique parti communes rationes.

An quia Auctoritatem requirit nomen Imperatoris & Iudicis?
Hanc autem non habet qui Nobilissimus non est. Auctoritas enim.
Vt in Iudice Ætatis & Severitatis, in Duce Victoriarum & Felicitatis.

Ita in utroque Nobilitatis filia est.

Multum addet robur nostræ sententiæ Roxolanus ille Cicero infideli subdit. *Orichovius.*
Quia inquit, Nobilissimarum Familiarum auctoritati Regnicolæ cæteri parere didicerunt.
Restant ex Quinta Constitutione Vindiciæ Libertatis.
Has Majores in Iudicibus requisivêre, ut licentiæ impetum Legibus retunderent.
In Imperatoribus. Vt Servituti obviam irent Potentia.
Domi Forisque in utrisque. Vt auream in Libertate servarent mediocritatem.
Sed vellicat calamum Constitutio Sexta Obtempero & quæro.

Cur

Cur hi Magiſtratus non Annui ? ſed ad durationem vitæ alligati.

An quia Non bene regitur Reſpublica, cujus Adminiſtratio quotannis defungitur, quia is regere bene non poteſt, cui intime non ſunt cognita Mox, Lex, Conſuetudo.

Quorum cognitioni, non unus ſolum Sol, ſed vix centum ſufficiunt.

Fato ergo permiſit eligens Nobilitas, Vitam, Iudicium, Imperium Procerum Candidatorum.

Rata Diu tolerandos eos Quos Virtus, Nobilitas, Divitiæ commendarent.

An quia Quod optimum eſt extra vices temporis eſſe debet?

An quia Annuæ mutationes difficiles in tanto numero ſi adjicias, nonniſi Virtute, Libertate, Nobilitate, Divitiis præſtantes fuiſſe eligendos.

Quid moror? Tranſeo ad ſurrogationem Officii;

Nam & hic habeo quod dicam breviter.

Conſtitutum Vt ſuccederent alii aliis, non agminatim ſed ad Naturæ legem, relictis pluribus peritioribus à quibus haberet quæ diſceret recentior. Addito ſi utilitas poſtulaſſet, vel neceſſitas Publica.

Nam ſi maculata fuiſſet ſcelere Potentia, læſum Imperium, violatum Officium. Fortuna moribus mutata innovabatur & meliori tradebatur.

Dlug. Cromerus. Aggredior ultimam legem, qua omne Ius comiſſum,

Palatinis, non ſolum Belli, ſed & Pacis. Iuſſique

Dicere Ius populis, injuſtaque tollere facta.

Intra tamen cancellos. Ne enim ire liceret qua liberet.

Ideo ſcriptum eſt Ius, non ſolum populis ſed & Palatinis.

Hanc mentem Vetuſtatis laudo, & conſilia Senatus & Nobilitatis.

Claudo. Hæc fundamenta prima Libertatis ac novæ Reipublicæ poſuit quondam Polona Nobilitas.

Quo-

Quorum ſoliditatem mente propinquiori mecum, Lector, explora ac ſcrutare, Præclare enim videbis fundatam Ariſtocratiam fuiſſe. *Dlugoſ.*

Firmaque tantæ molis jacta fundamina, ſi in ædificii ſequioris extructione, tam ab obtemperantibus quam ab Imperantibus, exoptanda fuiſſet ſervata conſtantia.

Quis clarius quam Dlugoſſus?

Sanctum (inquit) Regibus ac Principibus propitia Divinitate extinctis Poloni nacti conſilium, Imperium ſuum, libertate & legibus ſtabiliendum cenſebant, optimum factu rati, ſatius parere Legibus quam Regibus, fuiſſetque eorum Reſpublica, felicibus incrementis proſperata, ſi partam Libertatem pati & tueri potuiſſent.

Hæc ille, Qui etiam non temere hanc Rempub. natam & bene fundatam fuiſſe exiſtimavit. Probo viri mentem & amplector.

An quia Ex Lechi morientis mente & voto conſtituta? Qui Imperii ſui Adoream voluit à Martiis ſolum viris hæreditari. *Guagninus.*

An quia Hæc Reſpub. non niſi Optimo confert gradum Dignitatis?

An quia Plebem excludit ab Imperio?

An quia In Rectores, Equites & Agricolas dividua?

An quia Neceſſitati & Tempori conformata?

An quia Par honor non inter impares Nobilitate & Virtute diſcriminatus?

An quia Contemperationem Carthagienſis Reipub. redolet?

An quia Nulla hic in dignitate hæreditaria ſucceſſio?

An quia Maximum hic Iuris Imperium, maxima dignitas Legis?

Minor Optimatum.

Hi enim nonniſi Cuſtodes Legum & Paſtores populorum.

Non autem Poplivori Principes.

Hæc ad mentem Stagyritæ.

CAPVT II.

In quo initia Regiminis Palatinorum laudantur.

IActa sunt fundamenta præclara; laudavimus: Nunc videamus & miremur molem ædificii.

Cujus initia non tam meis, quam Historicorum nostrorum verbis effero.

Probi ædificatores fuêre, ut fere in initiis solent fervere omnia.

Cromerus. Recte (ergo) illi initio

Quia nam?

Cromerus. E Republica etenim initum Magistratum gessêre,

Commendantur, sed ab Initiis. Palma est in janua, non in Fastigio.

Nec abs re Tacitus.

Quod initia Magistratuum fere meliora sunt, sed finis inclinat:

Nec solum ut jam video, Imperium Virum, sed & Constantem ostendit:

Fœlix cujus diu ——— Mens immota manet.

Nec ad primam faciem variantis Fortunæ, Fato urgenti incumbit.

Illud vero Quod è Reipublicæ mente gessêre Magistratum confirmat Dlugossius;

Quia inquit Integritate qua potuerunt, amplissima Regno commisso intenderunt.

Ne mirêre, Gubernabat enim Polonos Virtus.

Aristoteles. Quia Ibi Virtus dominatur, ubi regunt Optimates;

Tu per Optimates Optimos intellige.

Idem. Optime autem regit, qui prudenter. Prudenter regit,

Seneca. Qui maxima arte tractat indomitum Animal,

Hominem scilicet.

Sed

Sed & qui hunc Regit, mundum regit, Mundus enim, quidam homo est, sed parvus.

Prudenter regit, Quæ cuncta videt quæ facienda, *Hesiodus.*

Sed nec semper oculo credit proprio, ast etiam sæpe fidit alieno, ne vel decipiat vel decipiatur.

Optimè regit, Qui mentem non separat à pluribus, si plures regant. Sed cum eis unit ad finem illum Reipublicæ summè necessarium. Nimirum *Aristoteles.*

Bonum publicum.

Optimè regit, Qui juste regit;

Iustè regit, In cujus penatibus nihil venale, aut ambitioni pervium. *Tacitus.*

Optime regit, Qui clementer;

Clementer regit Qui languida regnat manu. *Seneca.*

Optimè regit, Qui fideliter;

Fideliter regit, Qui nullum speciem Iuris fraude colorat. *Livius.*

Optimè regit, Qui modeste;

Modestè regit, Qui in alto positus, non alta sapit. *Bernardus.*

Recte ergo initio moles surgebat in altum.

Leges dictæ Sarmatis Germaniæque. *Iodocus Decius.*

Quam multæ? Paucissimæ.

An quia Vbi multæ Leges, ibi multæ Lites? *Plato.*

——— Ibi ferrea Iura *Virgilius.*

Insanumque Forum.

Quisquis Rexeris, memento breviare Lites, paucioribus legibus judica.

Opus facies ex voto Ludovici XI Galliarum Regis Principe dignissimum. *Lipsius.*

Fac ne Poloni ——— Magnis agitent sub legibus ævum. *Virgilius.*

Et multis. Fac ut causidicina sileat, vera tabes Poloniæ.

Disce à Deo, Qui decem legibus orbem temperat universum.

Disce à Natura, Quæ multis legibus stare non potest.

Et otiosas in mundo odit Entitates. *Aristoteles.*

Vnum remedium uni ſufficiat morbo; Quod ſi unum non ſufficit, ſufficiant pauca eaque ſimpliciſſima.

Lipſius.

Odi profanum vulgus Medicorum, qui linguis tantum ſanant multiſque verbis.

Optimus Medicus qui paucis & ſimplicibus opem fert medicamentis.

Multa Medicamenta ſunt morborum ſemina novorum.

Plato.

Multæ Leges vitiorum.

Vide ut è ſummo Iure, ſumma exoriatur Injuria.

Vt è Codicibus, è Digeſtis, è Novellis pullulet major in dies vitiorum ſeges.

Id è Platonis divina mente hauſi quod ſcripſi.

Vnde & illud. Non fuerint concordes unquam, aut inter amantes Cives, ubi mutuæ multæ lites Iudiciales ſunt, ſed ubi eæ breviſſimæ & pauciſſimæ.

Redeo ad Duodecim Optimates, qui quia in initiis Optimi.

Cromerus.

Iura dedêre Populis Optima, Pauciſſima, Simpliciſſima:

Quæ non in libris neque in Tabulis, ſed in animis hominum atque vita incidêre.

Rude ſæculum Cromero quod nobis Aureum.

Hinc diſce Quod firmiſſima ſit Lex quæ in Animo ſculpitur.

Nunc, In officina Diplomatica, vulgo Cancelaria die noctuque novæ laborantur Leges.

Quo fructu? Vt hæreant in charta, exulent ab Animo.

Et quod vix feras. Scribitur Lex, ut ematur. Dandum.

A ſepia, à calamo, à manu, à voce.

Scribenti, Legenti, Agenti, Defendenti.

Ita Oenopolia Iuris inſtituuntur, nec ad ea niſi DEÆ Monetæ patet aditus.

Et Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Melius Antiquior ætas, Forum venale conſtituit, rei Frumentariæ,

tariæ, Oleribus, Leguminibus, non Iuri, non Iustitiæ, non Legibus, nisi forsan jus sorbile excipias.

Habet suos Solones, Lycurgos, Zaleucos, quos imitetur Polonia, potest autem si velit.

De Zaleuco libet audire Strabonem. Zaleucum (inqui) illum olim paucas & simplices leges dedisse, (ita olim & nostri Palatini) sed secutos (intellige Principes) alias (intellige leges) per subtilitatem, & nimiam curam addidisse, ut celebres magis quam boni redderentur.

Consulant id speculum recentiora Polona tempora, & si qui similes Nævi, tollant.

Habes inclita initia, quod sequitur operis, deflectit à rectitudine.

Tu disces hinc Mutari tempora & nos in illis.
Disces Homines nos ea lege natos ut mutemur.
Disces Quod nihil sit ex omni parte beatum.

CAPVT III.

Dicendum mihi nunc, Cur & quomodo à rectitudine deflexerint Palatini, & quæ inde in Regno subsecuta?

CVr Amphora cæperit efformari Et
Institui currente rota, cur urceus exit? *Horatius.*

Cur retrahit pedem ab Aristoligarchia ad Monarchiam Polonus?

Cur Libertas resumpta abdicata? Cur explosa Palatinorum gubernatio? *Dlugos.*

Cur ad unius Imperium animi conversi? *Decius.*

Cur bene fundata Respublica & pessumdata? *Dlugossus.*

Quamvis non ſine Cauſa alii facti ſunt Poloni, hoc enim inconſtantiæ eſſet.

Cicero. Sed pro re nata mutavêre Conſilia, quod fuerat Prudentiæ.

Cromerus. Malorum pertæſi, quæ agminatim incubuerant.

Familiariſſima Errori Conſuetudo. Errare ubi cæperis, vix aut nunquam poſſe deſiſtere.

Fatum enim labyrintheum Errores trahunt. Error Errori catenatur.

Incumbunt autem mala quæ præmunt, maxime vero Publica.

Nullum autem onus gravius Publico malo, omnes enim parili mole premit.

Publicum malum, publica Spei & Reipublicæ mutatio.

Et mira Ariſtocratiæ in Monarchiam Metamorphoſis.

Cujus fert animus cauſas expromere.

Lucanus. Libet hic cum Poëta: Invida fatorum ſeries, ſummiſque negatum
Stare diu, nimioque gravis ſub pondere lapſus.

Seminarium malorum Nimia Imperantium Clementia.

Diſces tu hinc ut nimiam Severitatem, ita nimiam Clementiam Imperiis nocuiſſe.

Imperaverunt Optimates Clementer, ſed quia nimium, Ideo non Optimè.

An quia Amari voluerunt non timeri?

An quia Optaverunt Imperio quam non ſunt aſſecuti Securitatem, Firmitatem, Diuturnitatem.

Seneca Trag. Inviſa enim Imperia nemo ſuſtinuit diu,
Ideo mites fuerunt Patrum inſtar.

Vitium vertendo Regno fatale ſequitur è nimia pullulans Clementia.

Impreſſa obtemperanti Poloniæ, vilis abjectaque Opinio de Imperantibus.

Palatinis eorumque Statu.

Brevius dixero Contemptus,

Qui

Qui ubi invaluerit, extinguit Imperiorum Animam & Vitam nimirum Auctoritatem. *Senecæ.*

Nullæ igitur erant vires Imperio Palatinorum, quia

Nullus in Animis Obedientium consensus. *Livius.*

Qui esse non poterat, quia medica aut nulla fuerat Imperantium Æstimatio.

Nec hic quievit Contemptus, gradum fecit Paritati,

Secuta æquo passu Contumacia, & dedignatio Parendi.

Infima Summis reddantur paria, & coæquantur.

An quia Pœnituerat Polonum, inter Proceres & Nobilitatem locum dedisse inæqualitati?

An quia Nunquam bene Par paruit Pari?

An quia Idem par & dispar sibi esse non potest?

An quia Pares nec metuimus, nec mirari solemus?

Quid restat? Eversa Imperii Majestate, non se jam tulerat Polonia.

Ex Libertatis usu nimio pleno alveo emanavit abusus insolitus Libertatis.

Qui Fastidiosum & contemptibile nomen Imperantium reddidit obtemperanti Licentiæ. *Dlugoss.*

Si tamen unquam obtemperare voluit, & valuit Licentia.

Silendum hîc fuit Imperio jam enim impunitate peccandi, Auctoritatis ejus acies fuerat hebetata:

Facilis gradus à Libertate ad Licentiam.

An quia Difficile est (ubi nulla fræna) dum libet non licere.

An quia Ea natura multitudinis quæ & freti. Si enim aliquando fluctus suos impellentibus flatibus extulerit, non facile ad priorem reduci potest tranquillitatem. *Dlugoss.*

Quæ libertas Adeo potens sui quæ interdum non exorbitet?

Et Luctantes ventos tempestatesque sonoras *Virgilius.*
Imperio premat. Dum instant.

Nullus potentior ventus & fluctus quam Licentia.

Nec potuit hæc Navis occupare portum *Horatius.*

Nudum-

Nudum enim erat remigio latus.
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque fractæ gemuêre malis
Ventorum factæ ludibrium.

Aſt tu recentior Polonia, interfuſa nitentes, vites æquora Cycladas.

Libera es fateor, velim tamen ne ſis licentioſa.

Cicero. Non enim liber eſt, qui non poteſt Cupiditatibus ſuis imperare.

Dlugoſ. Ita ergo Majores noſtri conceſſa libertate inſoleſcebant.

Conceſſam recte dixit Dlugoſſius. Munus enim è divinitatis hauſtum liberalitate Libertas eſt.

Virgilius. An quicquam nobis tali ſit munere majus?

Sed quo conceſſum Polonis, uti non abuti.

Stare nunquam potuit bene Aurea Libertas ſine ferro, potuit ſæpe Licentia.

Dlugoſ. Quæ in animis Polonorum induxerat veteris diſciplinæ rigoris oblivionem.

En ſobolem licentiæ? Ita &

———— patriis acer Romanus in armis
Fuerat, tamdiu, quamdiu.

Virgilius. Injuſto ſub faſce viam carpebat & hoſti,
Ante expectatum poſitis ſtetit agmine Caſtris.

Et quamdiu non licuit nimium libêre.

Vis veteris rigoris & diſciplinæ Polonæ Idæam? Depingam

Cicero. Fuere tempora in Polonia Cum virtus militaris præſtabat cæteris omnibus.

Virgilius. Et ——— potuit quæ plurima Virtus
Eſſe, fuit, toto certatum eſt corpore Regni.

Tacitus. Non emebatur Miles ſed legebatur, Legebantur autem Milites.

Egeſippus. *Livius.* Non aſſueti latrociniis, Non bellorum inſolentes, Non purgamenta urbium, Non ignoti inter ſe ignoranteſque.

In

In Castris Non procacitatis, & petulantiæ, sed virtutis & modestiæ certamen erat. *Tacitus.*

Erant Milites illi veteres sub Lecho in procinctu in Campis,

Non per omnia Municipia desides, hospitibus tantum metuendi,

Nec se effundebant in luxum & epulas nocturnosque cætus, *Tacitus.*

Non lingua sed manu promptiores. *Salustius.*

Nunquam enim vox hominem interfecit, *Dio.*

Ita ergo olim severè conformabatur Miles, ad robur, ad Virtutem exercebatur exercitus, Nec simulacrum Virtutis, sed Virtus in castris fuerat amata.

Docebantur Milites laborare, decurrere, portare pondus & Solem pulveremque ferre, nec pudebat fossas ducere & sudes scienter figere. *Vegetius.*

Iam quam bene ordinatus Exercitus? Iucundissimus aspici amicis, molestissimus hostibus. *Xenophon.*

Vis Imperium? Simul id omnes copiæ sentiebant? Intenti ad Ducis non signum modo sed nutum. *Curtius.*

Horridus etiam Miles ille fuit Non cælatus auro argentoque sed ferro & animis fretus. Non discolori veste, sed ferro vigens & armis. Aurum enim neque tegit neque vulnerat *Livius.* *Tacitus.*

Placetne hæc Imago Virtutis? utinam & Posteritati,
Cui optarem ex hoc vigore rigorem.

Audiamus quid ultra Dlugossius? Malum enim audiemus natum ex abjecta veteri Disciplina.

Si quando usu aut necessitate cogente imperavissent aliqua Palatini, Imperium detrectabant. *Dlugossius.*

Vsus cogebat ad Arma, ad Bella, ad prælia, ad subjuganda Regna, Imperia. Ad Expeditionem generalem, ad Iudicia, ad Comitia.

Necessitas si Regnum fuerat defendendum, si vis limitibus inferebatur, detrectabant Imperium Poloni.

Refractarios fecit Licentia, & disciplinæ oblivio.
Hinc factum ut jussa Ducum interpretarentur non exequerentur.

Conviciari paratiores quam pugnare.

Vides ut stateram transiliat licentia & vocem regentis tumultu excipiat?
Fælices Palatini & diuturniores Imperatores fuissent.
Si in ipsis initiis servassent illud Aureum monitum Vegeti.
Dux (inquit ille) Auctoritatem maximam severitate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet nulli errantium credatur ignoscere.
Sed nos àd Historiæ textum mens revocat, sequimur & prosequimur.
Poloni Palatinorum sententias & decreta improbabant, scientes, contumaces, & rebelles aliqua animadvesione non posse percelli. *Dlugos.*

Consentit Cromerus cum inquit.

Edicta & Imperia ipsorum vulgo negligi cæpta.
Habuisti in Imperatore imminutionem Auctoritatis nunc habes in Iudice.
Et ita Vnius impetu licentiæ omnis Imperii Aristocratici contextus in multas dissiliit partes, & subversa jacuit pristina Majestas Soliorum.
Quam scitè Philosophus. E contemptu vero plurimæ sunt eversiones.
Aristoteles. Temnuntur sententiæ, abjiciuntur decreta.
Quid mirum? Si contempta vox Principis contempta enim prius fuerat & Persona.
Quamvis non Principum hìc contemptus sed Legum.
Lex temnitur, cum Interpretes legis, Oculi & Aures contemnuntur.
Omnia ei necesse est licere cui in legem licet:

& impune licet.

Verum-

Verumtamen nimis mutæ ille leges quæ non habent qui pro ſe loquatur.

Omni Contumacia major debet eſſe Lex, calcare debet rebellionem, & animadverſione digna percellere.

Cur hic ſilet? Non miror. Appellatur enim à Iuſtitia ad Licentiam.

Vide ut non alia Tribunalia quærat abuſus Libertatis.

niſi Licentiæ.

Suſtulerunt ergo Leges qui tulerant, & nullo ſub vinculo eſſe placuit labenti Diſciplinæ.

Per quod hactenus cohæſerat non male Reſpublica.

Quid reſtabat mente (id eſt lege) Imperio Polono ſubtracta?

Confuſio

Confuſione (autem) tetrius nullum malum.
Hæc perdit Vrbes; ita perdit & Domos.
Vaſtaſque reddit: Martis in certamine. *Sophocles.*
Hæc terga vertit: Rite ſed parentium.
Res ſervat atque vitam Obedientia.

Adjungo ſurculum licentiæ Inſimulationem Æquitatis & Optimatum.

Explicat mentem meam Hiſtoricus.

Ipſi quoque (inquit) duodecim Præfecti à vulgo ingeminatione quærellarum inſimulabantur. quod Republica poſthabita, privatis tantummodo commodis & utilitatibus, cum legum promulgatarum prævaricatione inhiarent. *Dlugoſ.*

Hunc textum primum lito ingenio Machiavelliſtico. Arcana enim ſapit.

Quæ ne arcana ſint, aperio Conjectura duce.

Evertere quibuſdam Cerbereis cerebris bene fundatam Rempubl. mens fuerat.

Qui (paucis bonis exceptis) cum eſſent (ut ore loquar Dlugoſii)

Insolentes, arrogantes, & rixosi facti. Adde ego. Et ambitiosi & novarum rerum studiosi, ad quæque illicita & noxia dilabebantur. *Dlugoss.*

Paucorum Imperio, aut ut aliquid deterius dicam Democratiæ faventia.

Illicita. Quia legibus sancita fuerat Aristocratia.

Noxia. Quia his desideriis novus Status Imperii ambiebatur.

Dlugoss. Id autem factum Sive Natura gentis Nimirum. Ingenio Polonis sub syderibus nato, quod in mutandis transformandisque rerum formis multum semper valuit cum voluit.

Sive mole dilatata Imperii Quæ periodo quadam fatali inclinat sponte, imo ruit in mutationes.

Sive quod suaptè illecta, Ad majora enim forsitan, ii qui desiderabant mutationem se natos fuisse putabant quam ut pari servirent.

Sive quod impunita transgressione incitata, Calcar enim addere solet transgressioni Impunitas.

Hoc calcare incitatius ferebantur desideria ad metam, utinam ea fuisset Publicum Bonum.

Sed id nunquam quærit Licentia sed Privatum.

Metam igitur habes, habe & media, Ea erant Aristocratiæ Exterminatio. Odii inter Palatinos & Nobilitatem excitatio, Optimorum Optimatum insimulatio.

Successere è voto collimantium Facinora.

Insimulantur Optimi Optimates idque sæpius.

Quod illorum Respublica videretur esse non illi Reipublicæ.

Quod non Cives Patresque gererent.

Quod non consulerent cunctis sed sibi.

Quod non publicis damnis moverentur sed suis.

Quod ex magna Fortuna licentiam usurparent.

Ad effectum insimulationis propero, quem refer acceptum nostro Dlugossio.

Ex

Ex quo crebræ inter Præfectos & communitatem contentiones & odia exorta, bene fundatam Rempublicam pessundare cœperant.

——— En quo discordia Cives, *Virgilius.*
Perduxit miseros.

Tandem hîc Vulgi injuria Palatinorum mentem admonuit.

An quia Læsa sepe Patientia fit furor;

An quia Verebantur ne dissimulatione insimulationis malum cresceret, Ne forma Imperii minueretur, Ne Majestati honos decederet. Ne dignitatem amitterent?

Ideo prius purgant se in publicis Comitiis coram Nobilitate.

Deinde ubi nullus datus locus excusationi, pugnatur & verbis utrinque.

Ast quam verum quod ——— Sero medicina paratur. *Ovidius.*
Dum mala per longas invaluere moras.

Hinc Optimatum Optimo in pectore malus cocus læsa Patientia excoquit alios animos, & Patres in Dominos mutavit.

Ergo ——— æstuat ingens. *Virgilius.*
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor & conscia virtus.

Cum igitur Portum nequirent tenere Boni publici, mutata velificatione Privatum assequi voluere, Leoninamque pellem Vulpinæ assuere. *Plutarchus.*

Concipitur animis utrinque malevolentia pertinax, & offensa.

A Palatinis in Communitatem à Cummunitate in Palatinos.

Visne hujus odii effectus, Audi unum post alium, vel potius unum ex alio.

Prima mens fuerat Palatinorum, rem privatam potentiamque suam adaugere. *Cromerus.*

Addo hic Comicæ virtuti Palatinorum Epiphonema ex Seneca.

Turpe & cedere Oneri, & Luctari cum officio quod semel recepisti.

Victa est Optimatum Bonitas, & terga Fortunæ data,
Abjecta Imperii cura & animus est solutus.

Miraberis forsitan. Tam subito Corvus qui modo Cignus erat.

Qui modo omnium salutem cogitabant, nunc cogitant Suam.

Qui obliti quodammodo Sui Regno vivebant, nunc incipiunt.
Regni oblivisci & vivere sibi?

Plautus. Profecto Centuplex murus rebus servandis parum est quas Constantia destituit.

Nec statim abjecta Bonitas, sensim id onus est depositum.

Vt enim nemo repente Bonus, sit & nemo repente Malus.

Lucanus. —— Temporis angusti mansit Concordia Discors.
Paxque fuit non sponte Ducum.

Sed Remora novarum cogitationum Animadvertebant plerique ex Palatinis, suam Potentiam diuturnam esse non posse. Vt pote Quorum in ipsis initiis displicuerat Imperium. Igitur sibi quisque potius, suisque rebus earumque augmen-

Cromerus. to, quam Sociis Imperii prospiciendum ratus, suam rem & potentiam conatus fuerat adaugere.
sibi Occare sibi Metere.

Etiam Titulos Regni, si potestas Fati non invideret altiores.

Cædebat hæc Mens fateor in publicum Reipublicæ detrimentum.

Vellejus. Sed ita se res plerumque habent. Vt publica ruina quisque malit quam sua proteri, & idem passurus minus conspici.

Tacitus. Ita & Optimates Miscere cuncta, & privata vulnera, Reipu-
Miechovita. blicæ malis operire. Ac quæ sua sunt non quæ Regni curare constituerunt.

Dlugoss. Non hic sistitur, Itur plus ultra. Ad ambitiones
Cromerus.
Boetius. Proch Deum immortalem, Quis est tam compositæ felicitatis, ut non cum status sui qualitate rixetur?

Guevarra. Cuilibet ex Palatinis stetit sententia, Non solum cum multis Fortunam suam æquare, sed omnes etiam post se relinquere.

Facilis

Facilis inter pares fuerat Ambitio. Quia ut quiſque (ex illis.) Animi magnitudine maxime excellebat, ita maxime voluerat. *Cicero.*

Princeps omnium eſſe vel potius ſolus eſſe.

Aſt Quam blandum eſt Ambitionis vitium in Exordio tam ſævum in proceſſu.

Vt autem intelligas quàm ſint dulcia initia Ambitionis. audi Cromerum.

Optimates aſſentantur multidini, Opibus tentatur ut expugnetur multorum Benevolentia.

Quam Machiavelliſtice? Sciebant enim multitudine nihil eſſe incertius. *Cicero.*

Et tanquam tempeſtatum, ſic crebram eſſe in ea ſententiarum mutationem.

Sciebant Nihil eſſe facilius, quam in quemlibet Affectum mutari Populum. *Quinctil.*

Ergo Lætos & uberes malorum Fructus tulit ingenium Machiavelliſticum.

Clavus clavo truditur. Inſimulatio Aſſentatione excutitur.

Ad gratiam, ad mentem & Nutum Populi omnia fiunt, omnia dicuntur.

Comitate & alloquiis Officia provocabant Militem donis. *Tacitus.*

Populum annona Cunctos otii dulcedine pelliciebant.

Multa multis opertis oculis donabant, idque ſine modo & paſſim.

Omnia agebantur Inſidioſè, omnia Simulatè, omnia Fallaciter.

Frons, Oculi, Vultus perſæpè mentiebantur: Oratio vero ſæpiſſime. *Cicero.*

His artibus Palatini, conciliabant ſibi animos Polonorum & ad uſus ſuos adjungebant.

Ita factum brevi ut fuerint admiratione divitiarum corrupti depravatique mores, & in duodecim ſtudia diſtracti.

Dulcius adhuc Ambitio fructificat, Licentia multitudinis

alitur

Cromerus. alitur à Palatinis omnia eo fine Vt rem privatam potentiamque ſuam augere poſſent.

Plutarchus. En ut jam Non juxta Leges, ſed Legibus ipſis imperant Palatini.

Ambitione impellente Depravabant jura publica juſtitiamque fugabant.

Seneca Phil. Et Poſteritatem fallere docuerunt cum timent Falli.

Adagium. Rati neceſſe Cum vulpe junctum pariter vulpinarier.

Debellari facilius nunquam potuit Polonia Quam laſciviis, libidinibus, Ebrietatibus, Iurgiis, Perjuriis, permiſſa omnia hæc à Palatinis, & factum.

Iuvenalis. ——— ut turpi frangerent ſæcula luxu
Divitiæ molles.

Et exquiſita cænarum ingenia Conviviorum luxuria.

Pergo ad Meſſem opimiorem genitalis Arvi.

Plura enim hic ſpero, quæ colligam ad formam Machiavelli
Lego Hiſtoricum.

Terrori eſſe cæperant Palatini, iis quos Benevolentia ſibi adjungere non poterant.

Colligo hinc pauca meo more. Mala mihi videtur hæc ingenii temperies, imo potius maxima intemperies.

Amorem captare Humilitate, Terrore Reverentiam.
Nimirum Vt Terror fide ſocios devoveat.

Male ſtat illud dictum in ore Principum, Oderint dum metuant.
Metui tamen voluêre Palatini.

An quia Potentia mediocriter hactenus exercita non fuerat apta viſa ad Imperii Majeſtatem conſequendam?

An quia Nihil facilius quam accinctum gladio leges dicere, & Amicos parare.
Si tamen ii Amici dici poſſunt quos gladius Amicos fecit.

Poſtquam jacta fuerant fundamenta inæqualitatis.

Et Palatinos Impares fecerat Vis, Virtus & Potentia.

Quid

Quid fit Ex suo nutu quisque geri omnia volebat. *Cromerus.*
An quia Qui Ambit tantum ut noceat cupit esse potens, *Seneca.*
An quia Non erit qui velle recuset Os populi meruisse,
An quia Nemo eorum qui in Republica versatur quos vincat, sed à quibus vincatur respicit.
Fomentum Æmulationis erant Comitia Consilia,
Et nova bellorum seges. De Bellis accipe Historicum.

Lacessebant inimicos & rem eorum turbabant. *Miechovita.*

Bella igitur inferebant Patriæ magis quam Hostibus metuenda.
Quia ex externis in Civilia erant emersura. Atque ita dominandi potestas in licentiam fuerat atque libidinem conversa. *Decius.*
Vnoquoque partes primas sibi vendicante, & tam in dicenda sententia, quam in cæteris id genus publicis rebus, maxime autem in bellica administratione excellere conante. *Dlugoss.*
An quia Iam quisque parem se regendo existimabat Imperio?
An quia Quilibet Palatinorum privata scientia posse se cuncta complecti opinabatur, suamque non alterius mentem tantæ molis capacem fore putabat?
An quia Vel reliquias Virtutis, vel privatæ Ambitionis in sociis incrementa metuebant.

Prior pars rationis confirmatur Aurea Dlugossii sententia.

Plerisque (inquit ille) virtute incumbente in publica, vehementiora privatim odia suscitari consueverant.
Posteriorem rationis partem illustro Lucani mente, qui inquit:

—— dum terra fretum, terramque levabit
Aër, & longi volvent Tytana labores.
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur.
Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erat.

Sed neque patiens alienæ mentis fautorum, neque non proprii in Regni culmine ſanguinis.

Audi Cromerum. Suos quiſque per fas & nefas defendebat & evehebat.

Vel milites puta in Bello, vel ſocios ſententiæ in Comitiis, vel conſanguineos in honoribus.

Malè cuncta & video miniſtrat impetus & Affectus

An quia Fidem & Probitatem evertit.

An quia Tollit Imperium Rationis.

An quia In Temeritate ſpirat Victoriam.

Hinc deſcendo in Factiones, Præludat ut ſolet Hiſtoria.

Cromerus. Factiones denique è ſtudiis partium exortæ.

Quam belle? quam ad mentem publici mali?

Illato bello, hoſte laceſſito, in factiones itur & Regnum ſcinditur:

Quid hæres calame? Sanguinem ut video ſudas è patriæ calamitatibus emanantem. Seminaria Catilinarum inſtituuntur.

Nec unus ſed duodecim Piſiſtrati meditantur Tyrannidem.

Timebatur dignitati proſpiciendum, igitur erat numero Fautorum.

Quos facile parare erat, Divites enim dixeramus Palatinos.

Pugnabant ergo Summæ paucorum Opes, Et Ius erat in Armis.

In Ore vero vindiciæ Libertatis cum revera fuerint Licentiæ & Ambitionis.

Saluſtius. Spes ubique magna Dominatio in manibus. Non per ignaviam diſtrahebantur Animi.

Certa ingenia certis Factionibus captabantur. Iungebantur inter ſe milites, multis magniſque tempeſtatibus cognoſcendi fortes. Eodem velle eodemque nolle, duodena firmati Amicitia.

Prælu-

Præluditur lingua in Comitiis ſæpius, antequam manus ordiatur telam vix retexendam.

Vno dicente junguntur plurium applaudentes Voces, quibus ab aliis diverſa mens, una ſibi cohærenſque.

Trudunt ſe igitur duodeni fluctus, fit fragor, & ingentia odia.

Hæret ſanguis ſanguini, & quo aliquis Nobilior eo potentior auctiorque numero, quem ſibi Sanguine Cerere & Bacho devinxerat.

Quam verè Ariſtoteles Nobilium factiones, trahunt ad ſe, & in partes univerſum etiam Populum.

Quo exitu? Docet Romanæ Parens facundiæ.

Neque alius ſolet eſſe diſcordiarum exitus, inter claros & potentes Viros, niſi aut univerſus interitus, aut Victoris Dominatus & Regnum.

Non limitibus Regni teneri poteſt, ubi furere cæperit ambitioſa Diſcordia.

Vide quam verum. Etiam in vicinas gentes Factiones diffundebant: *Dlugoſſus.*

Pridem conjecit malum Livius. Pars quæ domeſtico certamine inferior eſt, externo potius ſe applicat quam Civi cedat.

— Timendum Regnis Fatum.

Revolve veterum Annorum memoriam, & ſapies alienis exemplis.

Vnum ſat erit pro multis. Docebit te Monarchia Macedonica,

Quæ niſi diviſionibus & factionibus poſt mortem Alexandri Magni laboraſſet, viguiſſet.

Sed dum quæritur in Romanis præſidium, amittitur & Imperium.

Vetera hæc, hærent recentiora in oculis exempla.

Interroga Hungariam. Sed ſi nimis & hoc Vetus.

Conſule Germaniam Quid ſit pupillæ potentiæ, auxiliatricem lucem Heſperi invocare. Sed neſcio quo Fato lux illa præſidiatrix placet.

An quia Fatale eſt ei Orbes venari?
Crederem ſi Clarus Bonarſcius eſſem.

Aut aliquod ſub Iove Celtico natum ſervitutis mancipium.

Sed quid ego hic Calame? Cæcos nimis tumultus memoramus.

In apertum ruat Ambitio. Ad Seditiones, ad Cedes, ad Oppreſſionem.

Dlugoſ. Quid Hiſtoria? Ventum ad ſeditiones, ad cædes. Imbecilliores à potentioribus oppreſſi.

Hoc ſperabam. Non jam ut video Libertas tunc fuerat in Polonia, ſed Licentia, quæ proprium ſitiebat ſanguinem.

Sed nec erant Cicerones qui Catilinarum ingenia opprimerent.

Tota enim Patria æſtu percita Catilinario tumultuebatur.

Tacitus. Erant plerique in Factionibus Palatinorum. Qui nihil ſpei niſi per diſcordias habebant.

Saluſtius. Quibus domi inopiæ, foris æs alienum, Quibus Lar Familiaris nuſquam.

Cicero. Qui honores quos quieta Republica deſperabant, perturbata ſe conſequi poſſe arbitrabantur.

Adſtrepebat his vulgus: Hinc factum. Vt dum alii premerent, alii premerentur, plerique opprimerentur.

Quid in hac calamitate Reſpublica? Contrahebat humeros ad Iugi intuitum, vicina interitui.

Serpimus calame, Iam enim culmen malorum ſcandit Licentia Perſequamur veſtigia.

Hiſtoricus præit.

Cromerus. Eo redacta eſt Polonia, ut Lex jam ſibi quiſque eſſet & Rex.

Neſcit ſtare loco Ambitio, & aliena ruina creſcit.

Quam difficile eſt (ut cum Marco Antonio Vero) ſentiam in maxima

maxima Licentia moderari sibi, & cupiditatibus quasi fræ-
nos imponere.

Expedivi breviter. Arma enim vocant. Ad sanguinem, ad præ-
lia propero.

Fraternas acies viderat jam tunc primum Polona tellus.

Et multas scelerum facies. *Virgilius.*

In commune nefas certabatur. *Lucanus.*

Et in se verterat manus Polonia.

Furiæ scelerum fuerant Palatini, quorum finis improbus.

Certatum de Dominatione est. Omnia hic fuerunt misera.

Nihil tamen miserius Victoria. *Cicero.*

Certabat Populus potens. Quam bellum magnum?

Pugnatum totis viribus. Quam bellum periculosum?

Res geritur à Potentissimis. Familiis Regni. Quam bellum noxium?

Ita in se magna ruunt. *Lucanus.*

Ad vicinas gentes transeo, Non enim domesticis tantum & Civilibus facinoribus, contenti fuerant Poloni, Vicinæ etiam Gentes ab illis sunt violatæ.

An quia Studiis Palatinorum adaugendis favere maluerant?

An quia Illigatæ certorum Palatinorum partibus, reliquorum odia exacuerant, ac in se concitaverant?

An quia Decrescentis aliorum fortunæ susceperant patrocinium?

An quia Vbi Licentia imperium agit, nec alieni in tuto sunt Limites?

Vis effectus & ultimam calamitatem?

Pono. Violatæ Gentes variis durisque præliis Polonos afflixerunt. *Dlugoss.*

Id florente Concordia non ausæ.

Præcipue Germani rebellarunt, jugoque excusso, suas Provincias à Polonis occupatas recuperarunt. *Guagninus.*

Verum igitur quod ille docuit. Quos viceris, Amicos tibi caye credas. *Curtius.*

Cromerus. Celatum ergo erat ad illam diem timore odium, celatus dolor.

Nunquam puto ſanabile vulnus, ſi ſe eſſe quiſpiam victum meminerit.

Præſertim, ſi exaſperet fervorem vulneris ferendi Impatientia.

Miechovita. Hos hoſtes Palatini prius laceſſitos avertere non potuerunt.

Fortunamne hic Regni mirer an Fatum?

Fatum eligo, Me quoque Fata regunt, dum ſcribo.

Et calamum trahunt Mentemque Ad ſcribas Fatorum Parcas.

Referunt illæ Decreta Numinis in Tabulas Adamantinas.

Scribitur Regno huic (utinam fallar) Criſpi præſagium.

Ego ſic exiſtimo, Quoniam orta omnia intereunt, qua tempeſtate Regno fatum exidii adventarit, Cives cum Civibus manus conſerturos, Ita defeſſos & exangues, Regi aut Nationi prædæ futuros: Aliter non orbis Terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut conturbare queant hoc Imperium.

Hæc lego & ſcribo Tibi Patria.

De cujus hodierno ſtatu quid cogitem? Sileo & Ariſtoligarchiam.

Finiens, Regibus & Regnis monita do.

Diſcant Primo Deteriores poſt bona Initia non fieri.

Nolo veſtigiis Dionyſii Iunioris inſiſtere, Principem nolo Tyberii, nolo Neronis.

Ne audiat quod Galba. Qui omnium judicio dignus fuerat Imperio niſi imperaſſet.

Diſcant ſecundo Concordia parvas res creſcere, diſcordia maximas labi.

Quam verum id hic & ſemper, omnis pro me ſtabit ætas.

Dlugoſſus. Diſcant Tertio In adminiſtranda Republica multorum Imperium non poſſe eſſe utile & diuturnum.

Diſcant Quarto Dulce Libertatis Nomen, ad ſalubrem Imperii

perii Statum destinatum, abubentibus illo Polonis, grandem Reipublicæ attulisse perniciem & jacturam.

Discant Quinto Sævire neglectam Virtutem, furere, ac nimium seditiosam esse, Resque ipsas communes perire cupere, cum videt se esse derelictam. Orichovius.

Discant Sexto A Nicephoro Gregora. Quod ubi Divina providentia non commilitat consiliis actionibusque hominum, malis iis exitûs obvenit, & cogitationibus valde adversus. Nam tunc neque Vir consultus consultus est, nec fortis fortis, sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè ac fortia facta turpem & infamem exitum consequuntur.

Hunc habuit finem Aristoligarchia Polona.

Sic Fata Deûm Rex Sortitur voluitque vices, is vertitur Ordo, Virgilius.
Et nullius unquam rei eodem loco stat Fortuna.

Submittite ergo Fasces & Sceptra
Regna Terræ.
Terribili, & ei qui aufert Spiritum Principum:
Terribili apud omnes Reges Terræ.
Psal. LXXV.

LIBE-

LIBERÆ ELECTIONIS IDÆA,

Nimirum Tertia & ultima Imperii Poloni ſtabilitio.

CAPUT I.

In quo qualis debeat eſſe Princeps oſtenditur.

NOn ſemper Phœbeia lyra, delirat,
Nec ſemper in Fabulis deſipit Poëſis.
Sæpe ut in vili involuero dulcis deliteſcit nucleus,
Ita in Fabulæ cortice, triumphat Veritas.

Fabulam ergo Princeps lege de Phaëtonte ut ſapias.
Supplex Parenti Phaëton currum, & Solem & equos poſcit ut regat: inexpertus agitandorum Equorum Auriga. Negat Pater temerario Filio & juveni periculum; negat exitioſum Fatum: negat Mundi calamitatem: negat in opinione petentis Honorem: negat onus in effectu. Petit tamen ille & inſtat. Impetrat. Iungitur equis Currus, à Phaëtonte conſcenditur. Trahitur Lux Æthyopes mox incenſura: mundo calamitatem ingentem allatura. Provehitur Temeritas. Nec initio male. Sæpe enim ſolet blandiri Temerariis Fortuna. Sed ubi aſpirarunt certum locum Fata. Exſpatiantur Equi à Via diverſiſſime: incuſatque ſero, præceps conſilii Auriga cupiditatem, & damnat quæ probaverat deſideria: Nec jam regendo Currui mens ſufficit: & nullis frænis poteſt cohiberi licentioſa libertas Equo-

Equorum. Quid fit? Èxcutitur Curru immorigero Auriga. Orbemque periturus incendit Temeritate.

Mutato nomine de vobis Fabula narratur.

Si qui fuiſtis vel Futuri eſtis, temerarii Principes & Reges Libertatis.

Sol quem vehitis	Libertas eſt.
Meta	Bonum Publicum.
Equi	Affectus Publici.
Currus	Regnum.
Temo	Æquitas.
Rotæ	Virtutes.
Via	Leges.
Lora	Rationes.

Auriga.

Vel Phœbus Vel Phaëton,

Id eſt Princeps,

Vel Sapiens Vel Temerarius.

Phœbum puto Optimum Rectorem, Principem Sapientem.

Qui Veri Iuſtique natura cupidus. Rectæ nimirum Viæ. *Orichovius.*

Cui ſe alligatum ſciat, cognoſcendæ & tenendæ, ni errare velit.

Quod fiet ſi Leges ſibi ſcriptas putet.

Et non ſolum Currum ſibi commiſſum meminerit, ſed etiam quatenus permiſſus ſit, ſciat, ut non liceat ire quo libet.

Sed via pervulgata Patrum, laudatiſque veſtigiis multorum, qui præiverunt inſiſtere.

Ne igitur erret. Prudentem requiro Principem, ut ſciat quid ſit Verum, quid Iuſtum.

Regere enim hunc Currum recte non poteſt, qui Leges, ejus quod Regit Imperii ignorat. *Orichovius in Fideli ſubdito.*

Ille verè Reget, qui erroneam Viam à vera novit diſcernere.

Sin minus Pleraque & ſe præcipitat. *Saluſtius.*

Noſcet autem Viam Si inſtitutor illius Iuventutis præmonſtraverit

ſtraverit iter. Non Callimachus aliquis, non Gnatho Aulicus, non quiſpiam ex Paraſitorum & Sycophantorum grege.

Sed doctus, aut Probus Ariſtoteles, ſeu Dlugoſſius.

Qui doceat Principem, Non prius alienos tractare Affectus, quam domuerit ſuos.

Orichovius. Nec quo fræno arceat Equos, ſed quo ſuas refrænet Cupiditates.

Hi ſi docuerint Principem, Timere Deum, Amare ſuos, Vnire Cives, Tueri fines, Belli & Pacis tempus noſſe.

Phœbum formabunt non Phaëtontem.

Vt forment? Doceant Ad metam ei properandum eſſe. Ad quam rarus eſt Princeps qui Regiè decurrerit, Nec in bonum Privatum.

Vel in ipſis Regni initiis, vel in medio, vel prope finem oculos conjecerit.

Doceant cum Adriano Ita Rempubl. regere, ut ſciat populi rem eſſe non propriam.

Doceant Iuxta Leges tenere Curſum. Ne audiat ubi adoleverit ætas, Iulias, Rixas, & alia Fœminarum portenta, illud

Vellejus. in aurem inſuſurrantia; An neſcis Imperatorem te eſſe, & leges dare non accipere?

Doceant Hoc Curru multos Phaëtontas decuſſos eſſe.

Romam proponat cum Vectoribus periiſſe, Poloniam cum Duodecim Palatinis.

Orichovius. Quare ne pereat & ipſe, Sciat Regem deligi propter Regnum, non Regnum conſtitui propter Regem.

Doceant Non in Perſarum Regno natum eſſe Regem, cui ſcriptam legem fuiſſe, docuit Plutarchus in Alexandro.

Liceat facere, quicquid libet.

Sciat Vt in Temone ſalutem Currus ſitam eſſe: ita Reipublicæ integritatem in æquitate.

Quæ exactè ſervabitur, Si curaverit, ne in hoc iſte Polonico

cetu,

cetu, Virtus cedat Vitio, neve indignis id abs illo tribuatur, quod dignis eſt tribuendum.

Doceant Quod Equos ſint tractaturi Principes Poloni. Non Friſios, non Burdones, non Caballos, non Aſturcones, non Meritorios, non Suffarraneos, non Sarcinales, non Doſſuarios, non Onagros nec Aſinos.

Sed Generoſos Equos Libertatis. Putet. Pyroënta, Phlegontes, Eoos, & Æthonas. (Phœbum.

Quorum dorſa Virginea, non alium Seſſorem patiuntur niſi,

Doceant Virtuti innixam eſſe Libertatem debere, Nec illam currere ſed ſtare, ſi Rotæ hujus Currus à Virtute degeneraverint.

Inculcet Principi aliquis Plato, Si Rempublicam recte laudabiliterque inſtituis gerere, Virtus tibi cum Civibus eſt communicanda.

Doceant Male affectus regi. Optima Lora, è pietate & Prudentia natæ Rationes.

Hîc perſuadeant Inſtitutores Principi non tacitè cum Tacito: Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti.

Ergo moneant, Vt adſumat in partem Curarum Alios.

Non ut vehant, ſed ut moneant, ſi à rectitudine deflexerit.

Non monebunt autem (ſi qui ſunt) perjuri & Sacrilegi: *Orichovius.*

Quibus Argentina in Ore exprimit illa verba.

Quicquid nocivum ſcivero, novero, vel cenſero, avertam & pro poſſe meo me opponam.

Non monebunt Qui blandiri, mentiri, laudare malos, reprehendere bonos norunt, Apud quos Virtus eſt pro vitio, pudor pro ſtupore, continentia pro ſtultitia, frugalitas pro avaritia.

Non monebunt Propriæ cupiditatis mancipia, degeneres ab intuitu Libertatis Animi, qui Principis vultu & Spe privata examinantur, ne dicant quod ſentiunt.

Monebunt autem Qui obligationis, quam Sacramento con-

traxerunt memores, animo vultuque intrepido liberam ſpirant Veritatem.

Hos audiat Princeps, non contemnat.

Nihil enim turpius Principi, nihil periculoſius, quam liberos temnere monitores, ſequi Adulatores.

Qui tum maximè rectiſſima Via dicent ire Principem, cum maximè erraverit. Et hac via ſenſim.

Aut Boleſlaum facient crudelem, aut mollem Sardanapalum.

Quos ut vitet Princeps, doceatur in Repub. libera liberas voces non prohibere.

Hæ enim ſolæ veræ ſunt. Serva autem Vox, quia ſervit & timet, Ideo nunquam Vera.

Orichovius. Doceatur ergo Rex hos Amare, his convivere, qui reprehenſione corrigunt Regem, non qui errantem confirmant.

Idem. Quod ſi ſibi hos adhibuerit Comites, hos Inſtitutores Princeps.

Non erit cur aut Alexandro Ariſtotelem Præceptorem, aut Dioni Platonem invideat.

Nec Phaëton erit, ſed Phœbus.

Volo præterea memorem eſſe Principem

1. Metæ & Termini ad quem properat, Id eſt
Boni Publici,
Quod aſſecutus nemo oſcitanter.

2. Viæ & Legis,
Quæ multiplex eſſe non debet & rectiſſima.

3. Solis & Libertatis :
Grande certe Sydus, & ſi nimium alta vel ima petat,
Principi & Regno periculoſum.

4. Equorum & Affectuum Publicorum,
Ne hos curſu & laſſitudine examinet.

5. Temonis & Æquitatis,
Sola enim Æquitas Errorem in Principe poteſt corrigere, & deviantem in Regiam viam revocare.

6. Currus

6. Currus & Regni,

Quod non ſolum trahatur ab Equis, ſed etiam à Fatis.

7. Rotarum & Virtutum.

Ne ſe Virtuti Fortuna admiſceat, & Caſus,

8. Lori & Rationis,

Sola enim Ratio flexanima eſt.

9. Viæ aliorum benè vel malè peractæ.

Atque hîc potiſſimum memorem cupio Principem Exemplorum Faciet id lecta Hiſtoria.

De qua legenda, pono Baſilii Imperatoris monitum ad filium, ſervandum à Principe, ni Phaëton eſſe velit.

Per hiſtorias veteres ire ne recuſa; Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii cum labore colligerunt, atque illinc hauries, & bonorum Virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones, Mundi hujus inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus: Et ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in Divinæ Iuſtitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.

Volo præterea Pium & Probum hujus Currus agitatorem.

A DEO, & ad DEUM, & in DEO, & per DEUM omnia.

Nec enim adminiſtrare Rempublicam ſe putet Princeps, niſi ante omnia curet Divina.

Primum enim eſt in omni Republica, curatio rerum Divinarum. *Ariſtoteles.*

Videat Aurigas Ethnicos & Hæreticos ſuis cum Curribus & Equis periiſſe.

Clemens ſit agitator noſtri Currus.

Nec flagello minetur ſed exemplo præeat.

In arenam deſcendat interdum, & Mitis ſit inſtar Patris.

Fidem etiam commendo Rectori.

Ne Libertatem decipiat.

Stet antiquis veſtigiis Rotarum, & trita decurrat Orbita.

Non qua præivere Callimachus ſuo Alberto. Machiavellus ſuo Principi Florentino.

Modeſtiam ſectetur.

Nec omnem Vim Imperiumque in lingua ſitum eſſe arbitretur.

Nec Libertati obmurmuret.

Dominam enim vehit, Quæ mutare Aurigam poterit, ſi eum Temere à via recta viderit ſæpius deflectere.

Majeſtatem induat.

Hæc enim Regendis neceſſaria eſt Affectibus.

Liberalis ſit in Equos.

Et in tempora mutet Cibos, nutriendis Affectibus opportunos.

Iracundiam vitet.

Tacitus. Et quod ſævæ cogitationis eſt judicium, ne ſecreto ſuo ſatietur.

Calcitrationes ſæpè diſſimulet, nec flagello ſemper domet, ſed Voce.

Seneca. Magnam enim Fortunam, magnus Animus decet.

Ita denique Regat, Vt poſt mortem apud ſuos vivat.

Cum Caſimiro Magno, Ludovico, Alexandro, Sigiſmundo aliiſque Regibus Poloniæ.

Qui præcipua rerum ad Famam & Gloriam direxêre.

Talis ſi fuerit Princeps Phœbus erit.

Omnia in Phaëtonte diverſa.

Et præterea ſunt aliæ, quas breviter adnoto Phaëtontis notæ.

Xenophon. Qui ſe molliter curat,

Ariſtoteles. Qui ſuum ipſius commodum ſpectat, & quærit,

Seneca. Qui Civium ſibi Servitutem traditam putat, non Tutelam,

Quem

Quem publica damna non movent, sed sua, *Claudianus.*
Qui ex magna Fortuna licentiam tantum usurpat, *Tacitus.*
Phaëton non Phœbus esto Ad metam enim non collimat.
Cui omnia, ipsi, & in omnes impunè licent, *Caligula.*
Cui omnia injusta justa sunt, honestaque inhonesta. *Antigonus.*
Phaëton non Phœbus esto Viam enim nescit, Et per Symphlegadas ibit Colchos & Aureum Vellus.
Deducent de via Assentatores, & Syrenes dulce malum.
Non audi Princeps Fabula enim eris Sæculorum.
Regnum evertes & Libertatem.

Vltro te mihi hic ingeris Seneca dum dicis.

Monstrabo tibi, cujus rei inopia laborant magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: Scilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu concentuque falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, & unum omnium amicorum officium, una contentio, quis blandissimè fallat.

His si aures vendat Princeps, & in byssinis verbis animum defigat.

Non Phœbus sed Phaëton esto.
Sed & Ni sciat Naturam Regni,

Ni noscat, arduum esse & subjectum Fortunæ cuncta Regendi onus. *Tacitus.*

Ni sibi persuadeat. Imperium cupientibus, aut habentibus, nihil medium esse inter præcipitia & summa. *Seneca.*

Non Phœbus sed Phaëton esto.
Venio ad Equos.
Quorum genium ni bene noscat,

Habebit

Habebit & ſentiet refractarios, & calcitrones, tum ipſa ut ſalutem inveniat, reget Currum Libertas. Et Princeps Phaëton erit futuri fabella temporis.

Tacitus. Ne autem ſit Noſcat naturam Vulgi, & quibus modis temperanter habeatur.

Maxima Virtus Aurigæ Nôſſe Equos,
Principis nôſſe ſuos, eorumque ingenia;

Sunt ingenia quæ flagellis vivunt, nutriuntur ſervitute.

Sed hæc in Neronis Regno, non in Polono quærat Princeps, Libera ſi nimium premas, calcitrabunt. Hoc ſi fugiat Principem.

Non Phæbus ſed Phaëton eſto.

Sed & ille, qui Temone neſcit uti, malus eſt hujus Currus Agitator.

Quæ enim recta ſunt, curva faciet.

Sed & nî Rotis integris utatur, In media ſæpe Fata ruet.

Si Incolas benè moratos habes ô Princeps. Perge Bonus eſt Currus.

Iunge tua Exempla, tenebis Metam. Acclamabat Polonia,
Euge Beate.

Sin minus Phaëton eris, caſu tuo Nomen tibi facturus.
Claudo

Si loris moderare Equos neſcies, Id eſt, Si deſtitueris in ipſo curſu Prudentia.

Ludibrium Fatorum eris Orbem Exemplo incenſurus.

Magnum malum ubi unus Phaëton regit, qualem hîc effinxit calamus.

Maximum ubi Duodecim. Tot habuiſti & legiſti Phaëtontes Lector.

Qui in ipſo pene ortu Rempub. everterunt & Libertatem.

Nunc Polonum Imperium Ecclipſim agit, triſteque Interregnum.

Sed nos tibi è Carinthia Phæbum.

CAPVT

CAPVT II.

In quo de Reditu Grachi in Poloniam, cui Civem Optimum conformo.

EXemplo cæterarum finitimarum Gentium inducti Carinthii, & ipsi abjecêre & reliquêre obedientiam, ad quos in officio continendos, missus fuerat Grachus noster, quod bellum è sententia Reipub. administratum, quanta potuit celeritate confecit, eo proposito ut tempore Reipublicæ adveniret suppetias. *Kadlubkus Cromerus.*

Optimi Civis Patriæ, nondum enim Regis, habes Idæam, Lector.

Cujus vigilantia omnium somnos, cujus labor omnium otia, cujus industria omnium delicias, cujus occupatio omnium vacationem defendebat. *Seneca.*

Et dum cæterorum studia, in evertenda Republ. multa & tota sunt ac exitio Patriæ operantur.

Vnus hic & solus Civis Regni, publicam salutem quærit ut inveniat.

Non Civiumque servitutem, sed tutelam meditatur.

Cogitans die noctuque, vix dum adhuc Indigena, quomodo intestino odio & calamitate Populum Polonum absolveret.

Monstrabo tibi hinc, quid Optimum Civem Patriæ faciat,

Qualis fuerat noster Grachus, est enim Tempus, quando Occasio.

Optimum ergo Civem accipe.

In quo omnia solida, & supra dubitationem vident hi, qui recte vident. *Herbultus.*

Vel qualem Horatius. Dulce & decorum est pro Patria mori.

Addam Et loqui & Vivere, & Agere, & Cogitare.

Paucis depingo Coloribus ſed non fucatis.
Talis erat noſter Grachus.
Quem poſtquam Polonia in Filium adoptavit, Filium geſſit.
Ore & Animo Futurus Patriæ Pater.
Vt enim è Carinthia rediit, nihil habuit primum quam Reipublicæ ſalutem & Integritatem.
Regnum erat, ſi tamen Regnum quod Licentia everterat:
Currum putares Phaëtontis. Adeo debilitata & confracta omnia
Temo, Rotæ, Lora, Sed & Equi diſperſi;
Vno Verbo, Phæbo erat opus qui rem reſtitueret & tractaret
Horatius. Periculoſæ plenum opus Aleæ.
Periculoſa profecto alea, quam ſors jecerat & Fortuna, imo & abjecerat.
Equi primum cogendi erant & Affectus Publici,
Quo enim Currus, ſi Equis careas quibus vehas?
Hos autem difficile fuerat ad Vnitatem revocare, Vinculum enim nullum, ubi nulla Obedientia.
Menander. Sed famulatur omne quicquid eſt Prudentiæ Qua.
Revocatus eſt Affectus ad Conſilium, ut revocaretur ad Imperium.
Cromerus. Ergo Hortante Gracho Comitia indicuntur Gneznæ,
Quem mecum ſequere Lector. Conſultabimus enim.
Tu interim diſces Multa quæ Natura impedita ſunt, conſilio expediri. Quod ut ita eſſe oſtendam Sit.

CAPVT III.

In quo Primam Liberæ Electionis sui Principis Formam in Gracho Romano Polonos instituisse, qualis etiam ad hæc usque tempora in Regno immutata permanet docebimus.

QVemadmodum Naufragus aliquis, tandem in littus ejectus, non tam de vento, quam aut de Navi, aut de Nauclero queritur, nec tam tempestatem, quæ jam præteriit incusandam, quam eorum incuriam qui fortè adhuc superfuerint, & permutatis officiis everterint Navem, damnandum magis apud se statuit: Sic everso Imperio Nobilitas Polona, non inclinationi communi temporum, aut motibus Astrorum cœlestium, sed inscientiæ Ducum jacturam tribuendam esse censebant. *Varsevicius.*

Nec (uti nostra similitudine persistamus) de Curru, aut Temone, aut Rotis, sed de Vectoribus ubi inter se convenerunt conquerebantur.

Quamvis non omnes arbitror ad Comitia confluxisse,

Abfuisse eos potissimum reor, qui causa maxima fuêre, tantæ in Patriam calamitatis,

Tum quia Pudet ubi cæperis non esse impudentem?

Tum quia Inconstantis Viri videtur esse cedere alienæ Menti?

Tum quia Verebantur ne ab ipsis, Polonia, ubi ad saniorem mentem rediret, tantæ cladis exigeret piacula.

Quicquid sit, Convenêre tamen undique multi, & etiam plerique Palatini ad Consultationem quæ paulo longior. *Cromerus.*

An quia de rebus maximis. An quia Difficillimis. An quia de Summè Necessariis.

Difficillima fuit ea Consultatio. In ferendis enim sententiis, *Varsevicius.*

tanto quisque considератior sit oportet, quanto de graviori aliqua materia, verba facere magis occurrit.

Sed nec brevis de rebus Magnis Consultatio placet.

Servandum hîc monitum Demosthenis. Consulere quidem oportet lentè, consulta exsequi festinanter.

Difficiliorem autem maximè reddebant Consultationem, privatæ Palatinorum Simultates.

Quæ iterato novas & atroces videbantur excitaturæ Tragœdias.

Cujus mali semen Honor.

Scitum est illud Simonidis, Quod omnibus Corydalibus, id est Alaudis cristas enasci necesse est.

Explicet Plutarchus, non enim intelligo.

Quævis Reipublicæ administratio, Inimicitias & dissidia quædam adfert.

Non tam enim videbantur Consuasores, quam Contradictores in iis Comitiis Palatini futuri.

Est enim privatum Odium, stimulus vehemens, ad perturbanda Publica Consilia.

Pridem id ante me advertêre. Tacitus.

Stimulat Privati Odii pertinacia in publicum exitium.

Statius ——— male cuncta ministrat

Impetus.

Salustius. Ideo omnes. Qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse decet.

Opus igitur hîc erat nostri Grachi Prudentia.

Vt antequam animi ad Consilium accederent, saltem ad Tempus duraturi Consilii odia deponerent.

Plato. Quiddam enim sacrum Consultatio est.

Ideo Curandum est, ne se ei Res non Sacræ admisceant.

Res non sacras, intelligo Odium & Simultatem.

Addit Lipsius Contumaciam, Discordiam, Avaritiam, Fiduciam, Iram, Cupiditatem, Celeritatem.

Salustius

Saluſtius Tria maximè vult caveri, Gratiam, Timorem, Voluptatem.

Compoſuit ergo Animos Grachus, citius quam vellet.
Quod facile erat Phæbeæ Prudentiæ & Autoritati,
Et ad præſens cogitationes inimicæ depoſitæ.

Laudo factum, & aliud æmulum, ſed antiquius propono imitandum.

Græcum illud de Ariſtide & Themiſtocle.
Ex ore Plutarchi rem accipe in Politicis.

Ariſtides & Themiſtocles vulgo laudantur, ſoliti quoties ſive Legati, ſive Imperatores publicè mitterentur, privatam Simultatem & omnes inimicitiarum rationes, in finibus Agri Athenienſis deponere, reſumpturi ſi ita videretur in reditu.

Putaſne, intelligis quæ legis, Bone Civis, in Republica?

Qui tecum in Comitia nihil adfers, præter Simultates?

Quid ergo hinc trahes? Monitum & Documentum.

Nec ſolum tibi, ſed & omnibus Senatoribus, & Nunciis Terreſtribus,

Aliiſque quotquot ſerviunt Publicæ Rei, Voce & Manu.

Cum igitur ad Comitia ſive privata ſive publica, quiſquis es in cujus Animo bulliunt Odia, ubi in fines agri tui adveneris, cogita.

Odi ego illum NN. atque male afficere cupio, ſed vehementer Patriam amo. Igitur quia plus Reipublicæ debeo, Odia hic depono, ſi quæ corde gero; Si utilitas mea poſtulabit & conſcientia mea non repugnabit, ubi iterum hîc rediero, reſumpturus. *Plutarchus.*

Quod ſi adeo es Impotens tui, ut te pro Patria non vincas, ſcito te Barbarum eſſe, & pluſquam ferum.

Qui non vis eas Inimicitias tollere, quibus etiam Amicus ſit periturus. *Plutarchus.*

Peribit autem certo certius & Amicus, Si tuis ſimultatibus Reipublicæ incolumitas convelletur.

Habes Paralellum Exemplar depositæ Simultatis,
Nunc audi Grachum Consilia inchoantem.

Ne autem mirere nos ei tantum Autoritatis tribuere, ut primus loquatur, non enim Iodocum sequimur, qui Grachum dicit humili loco ad Regni fastigium assumptum, sed potius censemus fuisse Virum & hominem summa Autoritate, & Toga Sagoque præstantissimum Regni Poloniæ ex Romano Cive Indigenam, & ob egregia in Rempublicam merita, etiam tunc Palatinum, quod clarius sequenti Capite leges demonstratum.

Habes cur primus dicat Grachus Rationem, accipe illius
Orationem, dum causas aperit Comitiorum.

Rempublicam nostram, quam Lechi Parentis Optimi Maximi beneficio accepimus stabilitam, nunc funditus videmus à prima spe & cogitatione cecidisse. Fatáne hic incusem Deorum, an Fortunæ quæ stare loco nescit, inconstantiam, An vestra in Aristocratia suscipienda Consilia, dubius hæreo Poloni. Quicquid sit, ad seria nos & nova consilia tempora volunt, Civilia bella vocant, & quibus septi sumus pericula; Opes denique imminutæ, Gloriæ & Nominis Poloni majestas conculcata, & ipsa Servitus quæ Cervicibus imminet nostris, suadent quam citius consilia maturanda, Discordia vestra factæ Servorum Vestrorum concordes mentis, jugum quod vos eis imposueratis excussum, vestris humeris minantur imponere. Victores eos penè faciunt vestra dissidia, & dum nostra imminuitur, eorum fortuna non contemnenda sumit incrementa. Quid igitur vobis sit factu opus considerate? Servine malitis esse an Liberi? & libero humero, Tyrannidem multo graviorem, ea qua sub degenere Lechi posteritate pressi fueratis, ferendam ac æternam tollerandam suscipere? Videte, per Deos immortales, quem vobis animum eligendum putetis. Extrema enim calamitosæ sortis alea jacta est, & ni ad crastina

ſtina damna ſapitis, ſervitutis patientes ſapietis. Iugum pudendum, quod Genti gentium Triumphatrici imponit; jam fere hodie qui heri Imperio Veſtro parebat Germanus. Quam univerſo Orbi, veſtræ ſortis & Virtutis mutatæ Scænam obvertetis, Fortunam Veſtram riſui debellatarum quondam Nationum propinaturi? Quod ne accideret in Veſtris animis huc cogendis, quantum deſudaverim, perſpectum vobis ſatis eſſe arbitror. Nec à ſpe mea dejectus ſum; video enim & gaudeo vos frequentes confluxiſſe: Nihil autem dubito vos eam mentem Diis propitiis amplexuros, quæ tantæ calamitatis facibus utiliſſima fuerit reſtinguendis.

Vbi finierat Grachus pleriſque ad Servitutis nomen illachrymantibus, Omnium Acclamatio concors eſt ſubſecuta. Vt ſolus loqueretur, qui mentem Patriæ reſtaurandæ ſolus induerat, ſe omnes in ejus ſententiam ituros.

Facile enim Animos ligat Eloquentia, quæ calamitatis Pharmaca proponit, & Viam aperit proſperiori Fortunæ.

Tum Grachus ubi Ora omnium & Animos à ſe pendêre vidit.

In hanc ſententiam eſt locutus.

Omnes quicunque Reipublicæ Liberæ jaciunt fundamenta, illud conſiderare debent, ne ſenſim addito tempore Libertas degeneret; aut in effrenatam licentiam, aut in ignominioſam ſervitutem, quod ſeſe arbitrentur conſecuturos, ſi inter tenuiorem & lautiorem Regnicolarum Fortunam quoddam adhibeant temperamentum: efficiantque ut ne vel nimium prædivites, vel nimium modici pecuniæ, in Regno ſummam habeant poteſtatem. Non enim conſonant Divitiæ Tenuitati. Conſenſione omnium totius Poloniæ voluntatum, in hoc Regnum, non tam Ariſtocratiam, quam Oligarchiam video & doleo eſſe introductam, quo fine & exitu, qua noſtra conſolatione, lachrimæ omnium penè

veſtrum teſtificantur. Nam licet primo opulenta plurium Virtus ſat è ſententia videbatur Poloniam adminiſtratura, neſcio tamen, an Imperantium, an obtemperantium inconſtantia, tempore procedente manifeſtius viſum fuerat Divitiarum, quam Virtutis Imperium. Vt ut ſit pedetentim eo eſt Fortuna noſtra devoluta, ut florentiſſimum quondam Regnum, attenuatis viribus & opibus, vix queat Vmbræ primi Nominis inſiſtere, & ab omni periculo ſartam tectam dignitatem conſervare. Quid enim Poloni? Exiſtimatiſne vos adhuc liberos eſſe, & leges dare non accipere? Numerate tot facies Servitutis, Concipite quæ impendent veſtris Capitibus calamitates: inite diligentem calculum periculorum Excutite rationes, principium tot malorum inveſtigate: Reperietis profecto non aliud quam paucorum Dominationem. Nam eſto quod primo progreſſu Imperii Virtuti non Divitiis obtemperaveritis: Nulla tamen unquam Ariſtocratia adeo conſtitit ſibi, ut paucos poſt Annos ad paucorum potentiam non rediret. Conſtantiſſima hactenus viſa meorum Romanorum: ſed hæc longe diverſis à veſtris ſtat innixa fundamentis, & vereor ne paucorum, aut unius, reddat ſe tandem in brevi dominatui: Vobis ſi in integro eſſe Fortunam deſideratis, proſpiciendum arbitror iniquiſſimæ temporum rationi. Quod ſi ut promiſiſtis ſtare meo judicio velitis prorſum hanc Ariſtoligarchiam pro tempore exiſtimarem abdicandam. Primum Iuſticiæ fruendæ cauſa. Quo enim plures mentes legis, niſi ut in Ius ſint injurioſæ? Addo potentiam Quæ quia inter plures Imperantes diviſa, ideo minor eſt in ſingulis. Si enim quiſpiam veſtrûm Iſtulam in plures diduceret rivos, exiſtimatisne tantam vim quantam habuit antequam divideretur habituram? Ita vidiſtis vobiſcum actum, ubi enim unam poteſtatem inter plures partiti eſtis, quæ Autoritas Imperantium? quis aut metus aut reverentia Obtemperan-

rantium? Hinc consecutum, ut dum quilibet è Palatinis enixissimè suam amplificare nititur Autoritatem, & primas inter reliquos agere, in plura studia Regnum traxerint & distraxerint, quod pedepressim in abyssum calamitatum videt & dolet se esse deturbatum. Cujus calamitatis sensus, ni vobis meam persuaserit mentem, nullis post hac ad Vos ea de re verbis mihi opus esse existimabo. Ego interim ut cæteris non dubio præeam exemplo, primus (cujus partem in me contuleratis) vestro arbitrio redhibeo Palatinatus Imperium.

Audita mente Grachi, plerique Palatini, & mente, & Voce dissensêre.

Mirari se quod homines Peregrini leges imponerent Polonis, optare se ut sua in Vrbe sedisset Grachus, neque unquam in Poloniam novos mores advexisset, non ideo inter Cives à Polonis esse cooptatum, ut eam quam semel recte instituissent Proceres Regni cum Nobilitate Aristocratiam everteret. Periculosam esse Formæ Imperii immutationem, præsertim ubi de Summa rerum ageretur, potius in tanta perturbatione, cursim ea vitia quibus hoc Imperium laboraret esse notanda ac corrigenda.

Hæc & similia verba in cassum jactata fuêre à Palatinis.

Res enim eorum & dignitas agi videbatur.

Nec sperabant eo sua sententia Grachum collimaturum. Sed ubi suffragationem Equestris Ordinis, tantam vidêre, quantam vix speravêre: Suffragium suum vel inviti Aristoligarchiæ abrogandæ detulerunt, Inclinatæ enim omnes mentes Nobilitatis fuerant in sententiam Grachi.

Nec solum consideratum fuerat ab Equestri Ordine, quis aliquid diceret, sed etiam quid & quo animo diceret. Agnoscebat enim potissimum Grachum in dicendo amore Patriæ ferri, reliquos propria cupiditate.

Ergo publica obnunciatione interposita Eluctata jugo multorum est Polonia. *Guagninus.*

An quia Id ſuaſerat Amor Patriæ, quo jam ex integro pectora Polona caleſcere cæperant?

An quia Tædium Deliberantis ſæpè pondus mentis?

An quia Odium Quo Palatini Animos Obedientia exacuerant? (mala?

An quia Timor, Tot enim undique impendebant cervicibus

An quia Prudentia Grachi, Quæ unica perturbatum Ordinem ad ſuos numeros reducere poſſe videbatur?

An quia Invidia Palatinorum, Qua eorum mentes videbat Nobilitas degravatas, Quorum Vultus, Ora, Neniæ, & Stomachi nihil movêre Grachum, quominus à propoſito deſiſteret.

Sed Inſtante ut pergeret Nobilitate, Ea qua cæpit conſtantia pro Monarchia dixit.

Kadlubkus.

Doleo Invicti Equites, quorundam Imprudentia, ſaluberrima in rem veſtram Conſilia diſturbari. Quæ ſi ideo quod ego ſim Romanus, ſuum non poſſunt ſortiri effectum, merito injuriâ in me fuiſſet Deorum beneficentia, quod non hoc potius ſolo, (quod mihi certè Romano carius eſt) ſim natus & educatus. Nec eſt prætetea exiſtimandum, quod Oratio ea quæ ab Externo proficiſcitur Ore, ideo ſit ſenſu & animo interverſorio concinnata, quia unicuique (quanta hactenus fide in Patriam fuerim) ſatis fuiſſe arbitror cognitum ac perſpectum. Quod ſi quiſpiam arbitretur, me quicquid in hac cauſa mihi ſuſceptum eſt, non Reipublicæ, ſed honoris aucupandi gratia, quem vobis amplectendum ſtatuo, ſuſcepiſſe: ne is quidem tantum tribuat mihi temeritatis. Sed nec Dii (qui omnium Mentes qui ad Rempublicam adeunt maximè perſpiciunt) ſiverint, ut hæc Calamitoſiſſima Regni hujus Fortuna, tantiq; Imperii pondus in iſtos humeros ruat: ego certè non feram. Licet uti cæpi ſuadere non deſiſtam ut abrogata Ariſtocratia ad unius Imperium redeatis. Vnum omnes quotquot eſtis Corpus Reipublicæ efficitis, Capite igitur vobis opus eſt non Capitibus Hoſtibus acerrimis, bellis pericu-

periculosissimis undiq; incingimini, Duce igitur opus vobis non Ducibus. Imperium enim præsertim Militare pluribus partiri grave est atque periculosum. Gregem vos cogitatote esse palantem sine pastore qui omnem spem quam de salute conceperat, merito jam condemnet: in hoc timore ne consenescatis, uno homine vobis opus esse animadverto, cui omne quod reliquum est salutis, tutè concredere velitis, & cujus beneficio statu hoc miserrimo exui possitis. Corpus sine Capite vos esse existimate, ac ideo ne Acephali sitis Regem eligite, qui efficiat ne post tot devictarum Gentium spolia; Nationibus paulo ante Tributariis serviatis. Anima, anima inquam tantæ moli regenda deest, sine qua eorum operum fundamenta, quibus majores vestri magnæ parti Orbis terrarum Imperium imposuerunt, vix queant cohærere. Regnum hoc lampas mihi videtur sine luce, id est sine gloria, qua unius fortissimi Imperatoris Lechi beneficio, multis nationibus innotueratis: nunc dum è multis Ducibus lucem uberiorem speraretis, & Lucem quæ reliqua erat extinxistis, & oleum & operam perdidistis. Perpendite obsecro quid Mundus sine Sole. Sol Regni Rex est, à cujus omnes, quotquot sunt in Regno, pendent vultu & arbitrio, quo & ducente & lucente plures adhuc Orbis partes Imperio vestro adjicietis; Quapropter è tot Proceribus quotquot hic adsunt (adsunt autem plurimi quos dignos Imperio virtus & dignitas facit) unum qui vobis præsit Eligitote.

Peroraverat Grachus, ac uni è Palatinis suffragium Imperii detulerat, Non quod Electum iri putaret: sciebat enim in tanta hominum Liberorum æqualitate difficilem esse Incolæ Regni Electionem, Sed ut sese suspicione attentati Regni (quod Prudentiæ erat) liberaret.

Hac oratione habita, Desiderare unum Principem cæpit Polonia. Dlugos. Miechovita.

Vna Libertas, obex potentissimus futuræ Monarchiæ videbatur.

Grave erat nonnullis, aliquid de gustata Libertate remittere, & jugum quod sublata Lechi posteritate abjecerant, reassumere: uniusque iterum arbitrio stringi. Malle se Legibus parere, quam Regibus & aliam formam Imperii tentandam, experiendumque quidlibet potius, quam semel assumptam Libertatem abdicandam.

Adhæc Omnes se dignos Imperio esse, quos par Libertas par Nobilitas honestaret.

Hinc exorta Quæstio

Dlugos. Quis tantum molem subire, & gentem in tanta licentia plurimum rebellionis & duritiei habentem Regere aptior esset, rem ad magnam usque Factionem deduxit.

Paprocius. Inter quas tumultuantes sententias. Assurgens quidam è Palatinis, vir magna morum gravitate, & facilitate Gente Toporius (teste Anonimo) cujus vel sola muta Autoritas potens erat motos componere fluctus.

Ita dicere cæpit.

Ea est Natura Libertatis, ut tum maximè dulcescat cum amittitur. Nec immerito. Vt enim intellectus noster fertur in scientiam & rerum cognitionem, ita & voluntas in Libertatem. Dulce enim est nullius jugo premi: Adeo ut confitendum sit nunquam mihi vitam meam fuisse tam caram, ut eam optatissima Libertate velim commutatam. Quis enim est, quem jactura hujus non tam Nominis quam rei, cui nulla Orbis pretia possunt coæquari non permoveat? & non luctetur aliquantisper cum ratione, dum ea monet etiam ad tempus breve Libertatem esse abdicandam? Ego certè si non Rationis, sed Affectus mei essem mancipium, nullis unquam adigi possem persuasionibus, ut à futura posteritate injurius Custos tanti Thesauri debeam appellari. Noverit & sciat Posteritas, quam hodie in hoc florentissimo concessu omnium Ordinum, testatam volo & facio, me diuturniorem fructum imo & perpetuum liberioris Imperii perci-

percipere cupiisse. Sed quoniam mea desideria metior tanta temporum iniquitate, videoque nulla alia ratione statum Reipublicæ nostræ posse retineri, liceat quem nunquam quæsivi honorem in his Comitiis deponere: Et siquidem res nostras ita fata esse voluêre, ut è summa dignitate numerus simus; nolo postremus esse inter eos, qui chariorem Patriæ integritatem Officio nostro ac dignitate judicavêre. Cujus Patriæ si quis calamitatum hoc tempore ineat rationem, fortunæque deterioris flagella, quibus prosperitas hujus Imperii sat fortiter est flagellata. Ne is quidem Filium se jactet, qui in tanto Patriæ discrimine, prorogationes ulteriores purpuræ & dignitatis meditetur. Orsi Majores nostri à Bohemia Imperium, totam Baltici maris Oram nobis hæreditandam reliquêre. Germaniæ vastissimas Regiones tenuêre. Danos, Dacos, Marcomanos subegêre. Ponto Euxino & Asiæ imperavêre, totum denique Septentrionem possidêre. Iam quotam tanti Imperii partem hæreditaria nostra virtus retinuit? retinet retinebit? In oculis nostris crescit Russorum fortuna, & à nobis sumptam partem hæreditatis, perosi nostram ignaviam, toto dividit Septentrione. Iam nisi Grachi incredibili Prudentia, res Carinthiaca fuisset composita, quid nobis fuisset expectandum? Sed & Germani videnturne vobis in excutiendo jugo segniores? qui nostram discordiam, uni certam victimam devovent servituti, in theatro Orbis terrarum compedes nobis injecturi. Dilapsum ergo fateamur necesse est administratione multorum Imperium, nonnisi posse unius prudentia ad pristinam gloriæ & dignitatis metam revocari. Monarchiam nobis omnino approbandam puto, & Aristocratiam non tam abdicandam, quam ad tempus deponendam. Etenim amoris Patriæ causa, pulchrum est ipsam quoque Regiminis Libertatem, si Fors ita ferat abrogare. Vni sceptra & summam Autoritatem tribuendam judico, qui re-

belles Populos & jugum excutientes premat Imperio, contineat in officio. Ac quicquid denique amiſſum eſt, in noſtram redigat poteſtatem, qui æquo Iure, potentes juxta atque tenues, Autoritate adminiſtrationis regat, & ad commoda Patriæ quærenda omnium convertat voluntates. Cæterum in tanta omnium noſtrûm æqualitate, ad externum potius (ſi tamen ille externus dicendus eſt, quem Virtus, Fides, Morum conformitas, in Republica Civem Optimum effecêre quam ad aliquem ex nobis Sceptra exiſtimarem deferenda. Quare ne longius quærendo abeamus quem nobis Dii & Fortuna obtulêre.

Grachus Rex eſto.

Finem fecerat orandi Palatinus, quem communi approbatione excepêre Voces Nobilitatis. Quæ licet aliorum ſenſus alio traherent, ſtandum tamen cenſuit Toporii autoritate, quem noverat eſſe acerrimum Libertatis aſſertorem.

Ergo unanimi ſuffragio.

Dlugoſ. Ad Grachum Romanum. Quod & ſpecimine ingenii cæteris præſtare videretur, & quod ejus probitatem pluribus jam experimentis didicerunt clareſcere, univerſi ſua vota concordi deliberatione convertunt, ac ipſum approbatione ac decreto cunctorum in Principem deligunt, & illi demandant Regni gubernacula.

Omnibus, unius Ore ſic Grachum alloquentibus.

Quod ſuaſiſti Imperium Grache perſuaſiſti, & virtute tua & prudentia meruiſti. Onus id non ſolet niſi impares animos fatigare, Tuus & majora nobis præſefert, ita maxima de ſe pollicetur. Habes Viros & Arma. His impera, ſequentur Romanum te eſſe memento, & nobis præſta unum ex iis, de quibus non niſi omnia ſumma, à te & ab aliis audivimus. Quos ſi non ſuperabis, ſaltim uti ſperamus adæquabis.

Cromerus. Id ubi audivit Grachus, diu multumque reluctatus

Dlugoſ. Et cunctatus, num faſces & purpuram ſuſciperet.

An

An quia Perdifficile eſſe viderat Rempublicam, partim Civium licentia, & inteſtinis diſſidiis perturbatam, partim externis bellis quaſſatam reſtituere & reficere? *Cromerus.*

An quia Sciebat Imperia, multum malorum fronte blanda gerere?

Tandem precibus & contentione multitudinis, & charitate Patriæ victus, Reipublicæ curam ſuſcepit, & adminiſtrationem;

Dicens

Onus non Honorem imponitis Poloni, magnus mihi tamen Animus eſt, veſtram Virtutem, conſenſumque Veſtrum, initium melioris auſpicii huic Imperio fore: nec tam me Dominum Veſtræ Libertatis, quam Cuſtodem futurum vobis perſuadeatis. Supereſt ut plus pro Vobis agam, quam loquar.

His dictis Comitiis finis impoſitus,

Regem tibi, Lector, liberè elegimus,

Cujus Actiones Heroicas, antequam perſequamur,

Prius accipe.

CAPUT IV.

Pauca quædam de Dotibus Electi Regis.

PRima Dos eſto: Modeſtia in honore Imperii acceptando, Quem enim hoc malum etiam ſibi conſtantiſſimum non concutiat? *Dlugoſſus.*

Eſt enim conjunctum Gloriæ Imperium, & Ori Populorum,

Quæ qui nolit meruiſſe, vix invenias.

Et Rarus qui in ipſis initiis curas, non purpuras meditetur.

Et cujus cor non urat potius gloria, quam futura Adminiſtratio.

Tragicam mentem primum, Regibus dum Regnum ſuſcipiunt ingerat.

Seneca

Seneca Tragœdus.

Quiſquamne Regno gaudet? O fallax bonum.
Quantum malorum fronte tam blanda geris,
Vt alta ventos ſemper excipiunt juga,
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem Freta,
Quamvis quieti verberent fluctus Maris,
Imperia, ſic excelſa, Fortunæ ſubjacent.

Simulavit has cogitationes & Modeſtiam Tyberius;

Si verba ſpectes Ab ipſis initiis modeſtiſſimus Princeps.

Si cætera quæ ſubſecuta. Principum Carcinoma.

Quin & Nero Ex Magno & modeſtiſſimo inter initia Principe, magnum poſtea Monſtrum. Cujus nihil laudes niſi primum Quinquennium. Adeo primam Olympiadem Imperii ſummæ modeſtiæ, quod reliquum fuerat Vitæ, ſummæ Immodeſtiæ, videtur conſecraſſe.

Addit Varſevicius.

Iam vero non ibo inficias, in omni omnium ſæculorum memoria, multa Neroniana quinquennia reperiri, ſed qui pene ſex quinquennia fæliciter compleſſet imperando, aut paucos, aut inventum eſſe neminem.

Perſius. O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane.

Quot Principes quibus dici & ſcribi poſſit à ſubditis? Promiſiſti nobis Regem & Patrem, feciſti Tyrannum.

Aſt Famem Imperii, Fama premite Principes. Pulchrum enim eſt inter Grachos, Caſimiros, Alexandros, Ludovicos, Sigiſmundos, Stephanos cenſeri.

Duo nobis pollicentur Principes cum Imperare incipiunt.

Curationem & Curam.

Illam ut Medici, hanc ut Patres.

Qui igitur fit ut plerique non præſtent? An & hic Frons illa Modeſta mentitur?

Si uſpiam? Fronti enim nulla Fides. Amorem ſpecto in Principe non Frontem.

Si

Si hic exulet. Despero Curam, & Curationem. Amoris autem publicæ rei fax, licet parva, plus urit quam Vulcanus.

Sed quid ego hic in limine?

Pergo magis intro: Et scrutor secundam Dotem & qualitatem Principis.

Virum idoneum Imperio dicit fuisse Historicus. *Miechovita.*

Idoneum ne tu qualem tibi bella hæc Fabella?

Comitia fecêre animalia irrationalia, Electura inter se Regem qui optimè saltaret. Inter omnia excelluit Simius Probatus. Electus Rex & salutatus. Vulpes invida honoris, in casse carnem videns, thesaurum se invenisse Simio dixit, non tamen se voluisse eum ne attingere quidem, quippe cum sciret omnem thesaurum ex Lege Regi deberi Credit Simius, accedit ad cassem, capitur, Incusat Vulpem. Illa vero ad hæc O Simie tam stupidus cum sis, qui noster Rex eris? *Æsopus.*

Amabo, Quid defuit huic Simio? Saltare scivit & pedes movere ad numerum? Fateor ita esse, atqui Prudentiam non habuit qua futurum periculum prævideret.

Sapere ergo Regem decet etiam dum saltat: Imo & semper Plus sapere quam omnes subditos.

Suffragatur Suada Ruthenica in Fideli subdito, dum sic Regem Polonum alloquitur.

Scisne tu quis es tu? Rex. Regis igitur tu? Regor ego. Sapientior ergo tu quam ego. Quod si tu Sapiens, Liber, Vives, Fœlix ego. Quod si tu desipias: Servus, Vagus, Exul ego, Nemo ergo delicto tuo miser nisi ego.

Quod si tu mihi des Regem Neronem aliquem; Qui exacta Principe digna Olympiade, minus postea dignè moveat pedes tanto fastigio. Et inter numeros plantarum, venetur aurium & oculorum superbum Iudicium.

Transeo ad Tertiam Dotem. Nimirum Ingenium Grachi.

Quod ei maximum tribuit Dlugossius.

Hoc requiro in Principe tale, cujus uſus ubi in Publicum prodierit, meliore lapillo à Poſteritate cenſeatur.

Revolve ætates, & confer quot Ingenia quamque diverſa præfuerint Imperiis? quibus Regna ſteterint, quibus ceciderint. Multum enim valet ad Fortunam Imperii Ingenium Principis

Augendam Minuendam

Deſultoria Ingenia, & quæ in horas mutantur, ſæpe Imperia mutavêre:

Deſultorium voco quale Iuliani Apoſtatæ

Defœcatum melius, quale erat M. Aurelii, Titi Veſpaſiani, & ut noſtrum etiam inter hos referam. Sigiſmundi Primi

Erit defœcatum. Si bene Temperatum

Timenda illa: quæ vel ex Sanguine Cholera conjuncto, vel ex Phlegmate & Melancholia pullulaſcunt.

Nihil enim hæc niſi aut Tyrannidem, aut amentiam pollicentur.

Imus plus ultra Ad Prudentiam, Et ejus pediſequas Solertiam & Induſtriam.

Quæ omnibus Grachis hæreditate obtigêre Divina.

Doctrinam igitur ei non mediocrem tribuo, in tempora enim incidit proxima Ciceroni quæ fuêre Cultiſſima.

Virgilius. Iam uſus quantus? ——— per tot diſcrimina rerum

Quæſitus; Comparatus.

Acceſſit Hiſtoria, lux Politica, Quæ ipſa Virtutem Principis regit.

Plato. Et ſola præit & ducit ad rectè faciendum.

Vobis imitandum propoſui Principes hunc Phœbum, qui nullam diem ſine luce. Vos enitamini.

Horatius. Threſſa ne careat pulchra dies nota,

Et qua aliquid imprudenter egiſtis, diem nos perdidiſſe putatote:

Cromerus. Dlugoſ. Addo his dotibus Magnanimitatem Strenuitatem.

Quæ maximè eluxêre in Gracho noſtro his Comitiis cogendis & ad exitum perducendis Conſiliis, & dignis ſummo viro cogitationibus.

Ejus animum talem puto, qualem deſcribit Seneca Philoſophus; Lege & confer.

Animus, ut pariter fugiendorum ac appetendorum, non ex opinione, ſed ex natura pretia rebus imponens. Aſperis blandiſque pariter invictus neutri ſe fortunæ ſubmittens: ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, inperturbatus intrepidus, quem nulla vis frangit, quem nulla attollunt fortuita, nec deprimunt.

Hæc ille Quis dicat magnum Animum? Cujus amplitudini exhauriendæ unus ſufficit ſcyphus? Cujus potentiam vinum ligat ac vincit? Qui auro major non eſt, & Orbe toto?

Principem volo Cujus cum Alcibiade Milciadis trophæa ſomnos eripiant.

Qui ad mentionem Orbium plurium cum Alexandro illachrymet:

Qui ad imagines & ſtatuas Virorum fortium, æmulationis Oeſtro percitus, parem gloriam ſuſpiret cum Cæſare.

Brevibus Qualem Cæſarem deſcribit Lucanus:

——— Sed Cæſar ſuper omnia præceps
Nil actum credens, cum quid ſupereſſet agendum
Inſtat atrox.

Id denique contendite Principes. Vt de vobis ſcribatur ubi vixeritis quod de Pompejo Magna Vellejus:

Quo viro nemo, alia omnia minus, aut gloriam magis concupivit.

Nomen Magni. Vbi facinora Illuſtriſſima viderit, non invidebit Polonia.

Dixit Caſimirum (talis enim erat) verè Magnum,
Vos ſi fueritis magni Magnos dicent.

Addit Hiſtoricus Kadlubek Grachum fuiſſe eloquentem.

Digna Principe eſt Eloquentia, ut viceverſa indigna Loquentia

Mirifice enim confert Sceptro ad ſplendorem.

Indecorum enim eſt, infantem eſſe Principem, & tria verba non poſſe eloqui,

Cui tamen optarem talem Eloquentiam, qualem tribuit Tacitus Auguſto, dum inquit:

Erat ei prompta ac profluens, & quæ Principem decet Eloquentia,

Maturior tamen illa Tyberiana, de qua idem Scriptor.

Artem calluiſſe, qua verba expenderet, valida ſenſibus, aut conſulto ambigua.

Amicis præterea, & Copiis ac Facultatibus potentem fuiſſe Grachum aſſerit Cromerus.

Facilis & magna Amicitia divitis Principis DEVS enim Nummus multos poſt ſe Amicos trahit, non tam perſonæ quam Fortunæ Vtiles tamen, non ad ſpeciem Amici, Principi

Quorum etiam Conſilio utatur, & à quibus Conſilia non metu extorqueat, ſed placida Fronte. Nunquam enim rectè Conſilium Timor.

Diſcrimen autem inter Aſſentatores & Veros Amicos noſcat.

His verbis à me admonitus, quibus monuit ſuum Mæcenas Auguſtum apud Dionem.

Nulli Amicorum aut Officialium tuorum, nimia eſt indulgenda licentia, ſed ita iis moderandum, ut ne te in culpam aut reprehenſionem conjiciant. Quicquid enim hi rectè, vel ſequius egerint, id vero tibi adſcribetur, talemque te cuncti cenſebunt, qualia eos facta exercere permiſeris.

Dlugoſ. Cromerus. Additur Probitas, Integritas, & Iuſtitia.

Quæ ad finem reſervavi, ut ultimo lecta, menti fortius hæreant.

His ſi careat Princeps mente potius careat.

Minus enim Imperiis nocuit Principis dementia quam Improbitas:

Exem-

Exemplo enim Regum ubique Terrarum vivitur:
Illius Iuliani ſemper memento.
Quales in Republica Principes ſunt, tales reliquos ſolere eſſe Cives.
Sed ego hic forſan prolixior. Claudo Elogio Dlugoſii.
Talis denique fuit Grachus.
Vt ſolus dilabentem Rempub. ſuſtinere ac recreare poſſe videretur. Dlugoſ.
Non igitur erravit in Electione tanti Viri Polonia, & Phœbum elegit non Phaëtontem.
De quo addo

CAPVT V.

De Grachis Tiberio & Cajo Romæ occiſis, eorumque nece Iudicium. Tum de cauſis Grachiani adventus in Poloniam.

MAgnos Viros, magna Fata decent,
Non enim niſi in Summis ludere ſuevit Fortuna,
Experto crede Herculi Sclavonico,
Sic enim eum honoris cauſa nomino.
Crede inquam & lege, loquitur enim ad te ore Herculeo Fortuna.
Quid mihi (inquit illa) ſi libeat non licet?
In uberibus Lupæ ſi voluero Romulus & Rhemus agnoſcent & ſentient Matris officium, exſugent quod non habuêre Imperium.
In figulina rota Sceptra fingam Agathocli, & faciam ejus improbos mores Imperare iis, queîs debuere ancillari:
Ab aratro & ſtiva avulſum, inferam throno Ottomanico Oſmanum & quem heri contempſit Turcia Aratorem, cras adorabit Imperatorem.

E Paſtore Caprarum, Temirchanum faciam paſtorem Populorum, cujus Stirps in hanc diem ſit vel ipſis Polonis metuenda.

Vnco ubi voluero, excarnificata pendebit ſumma Polycratis potentia.

In Cavea illudet Puer Victori Orbis victo, vincto & incluſo Bajazeti & quo heri concuſſus Mundus fulmine, fulmen metuebat & adorabat hodie ſi placuerit menti, micans è pelvi contemnet.

Antiochus Rex pendebit à vultu jubentis latronis, & tantum Cras habebit, quantum hodie rapere potuerit.

Boleſlaus Sceptra ſuſpirabit in Culina, fruſtra meditans Purpuram inter fuliginem Cacaborum.

Muliebri Cyri Monarchia ſuccumbet manu: Et excipiet hodie Henricus Galliæ Monarcha, quam heri non ſperaverat funeſto ictu Cataſtrophen.

Hæc ille Hercules Sclavonicus cum invida Fortuna luctatus in Antro.

Facunda enim læſa Virtus.

Quam in gratiam Lectoris Latinè loqui fecimus.

Ne igitur mirere Virtutis præmia eſſe Exilia & Neces.

Excute Athenas & Romam. Invenies nonniſi Optimis hæc deberi.

Inter tot qui S. Eleutheriæ & integritati ora & Animos devovêre.

Numera quot liberos & integros Invida fecit.

Habes Grachos.

Primas Civili Odio litatas Victimas. Iunge Fortunam Virtuti Movebis caput & dices, O miſeram Virtutem: Quid miſeram? Dic beatiſſimam quæ miſera eſſe voluit, Ne Patriæ læſa noceret.

Neque tu miſera Mater ô Cornelia,
Quæ talibus hoſtiis ditaſti Libertatem.

Sed

Sed quid vos mihi neſcio, qui umbratici Scriptores Antieleuterii & ſi quid pejus ſervirute & mancipiis, mentem ſeditionibus & turbis perturbatis. Seditioſine vobis Grachi?

Nimirum. Servitis Servili Scenæ & Aſtro,

Et Libertatem qua caretis calamo condemnatis, ad oculum, ad mentem, ad palatum ſervitutis.

Quod ſi hæc legat apud vos aliquis Scipio Naſica, aut Sylla, aut Marius, aut Cynna, aut Cæſar, aut Tyberius, aut Nero placebitis.

Quod ſi legat hæc apud Plutarchum, aut alios veritati ſacros Scriptores, aliquis Pompejus, aut Brutus, aut Coriolanus, aut Ludovicus, aut Alexander noſter

Fato Grachorum indolebit.

Et tot ſuis temporibus Tyberios, tot Cajos, tot Grachos deſiderabit, quot quondam ad intuitum mali granati Zopyros Darius.

Plurimum tibi gratulor Polonia, Lætorque hoc ſurculo è libera Grachorum ſtirpe pullulante, Tibi Iura dante, & Imperante.

Nec degeneravit à ſuis Conſobrinis noſter Grachus,
Qui Optimæ Optimus fuerat Pater Libertatis.

Magna ſuorum exempla ſecutus. Quos omnes Virtus & Libertas defenſa Magnos fecit.

Quid vero eum Solum vertere coëgerit videamus.

Iam omnis moles malorum Grachianæ Familiæ Romæ incubuerat.

Nomenque Grachorum magna laborare Invidia. Videns Grachus noſter

Eamque Proſapiam inter Romanos vigere vix poſſe, cujus gloriam animadvertebat in Tyberio & Cajo excarnificatam,

Sed & verebatur ne pari ob Virtutem vocemque Liberam cum Conſobrinis ruina opprimeretur.

Videret quoque male temperatis chordis Romæ jam oberrare Fata. Liber-

Libertatem ſcilicet Imperiumque inclinare.

Sed & ingratitudinis cogitatio vehementius angebat Animum:

Qua videbat Romam tantum erga ſuos laborare:

Mali etiam Augurii fuerat, inter ſumma Fratrum lapſus.

Multis auctus Comitibus in Poloniam diſceſſit: De quo Regno plurima inaudierat ab Ilyricis, quæ cum eo militabant Legionibus:

Illud identidem mente revolvens

Ingrata Patria nec Oſſa mea videbis.

Tali tantoque pondere cogitationum, colluctatus ſecum mutavit Solum noſter Grachus.

Quod confirmo Dlugoſſii teſtimonio:

Hunç Grachum exiſtimant Romanum, de ſtirpe & Familia Grachorum genus duxiſſe: & Civili ſeditione duobus Grachis Tyberio ſcilicet & Cajo Tribunitiam poteſtatem pro lege Agraria exercentibus, mota, Factione Divitum occiſis, Roma relicta ad quæſitum ocia & latebras divertiſſe. Et ſummam rerum apud Polonos ſortitum eſſe.

Nunc habe de nece Grachorum Iudicium, quod in Titulo promiſeram.

Non aliud dabo quam quod pœnitens Roma, hæc enim demonſtraret, quanto eorum deſiderio teneretur.

Plutarchus. Statuas eis poſuit.

Deſiderii teſtes: Libertatis defenſæ præmia.

Agnoverunt tandem ſero Romani periclitari Libertatem, dum deinceps inter potentiorum accipitrum uncos trepidaret.

O quot vivente Sylla ad Grachi Statuas audita ſuſpiria?

Et illa verba: Vtinam viveretis Grachi.

Idem. Sed nec ſolum ſtatuæ poſitæ, verum etiam loci, ubi occiſi fuerant Grachi in templa conſecrati, cum inſcriptione:

Fana Libertatis.

Nemini

Nemini id ante Grachos.

Expectabam à te, Roma, ſtatuam aut Naſicæ aut Opimio percuſſoribus.

Tu, inter horum pone ejurata nomina Grachorum nomen Templis colis?

Ita eſt, Scio morem tuum. Te non privatæ, ſed Publicæ Rei curatoribus

Statuas erigere conſueviſſe.

Sed & poſt mortem Aliter longe Catelli olent quam Sues. *Plautus.*

Eſtque ſuus Virtuti honos, licet Serus.

Neque enim unquam melius, quam cum amiſſa eſt cognoſcitur.

Sed & in horto Immortalitatis.

Non creſcit nectendis Coronis, capiti Naſicarum aut Opimiorum (ſi quos & hæc fert ætas) Laurus: ſed quæ extinctum nomen decet Cupreſſus.

Sed augeo poſthumæ Romanæ gratitudinis, erga Grachos indicia,

Non ſolum templa erecta, ſed & quotannis in eà Templa honoris ergo primitiæ frugum ex Agris ſunt illatæ. *Plutarchus.*

Habes Iudicium.

Quod ſequitur eſt Encomium, docens quæ ſint Virtutis præmia:

Videbis hic & leges, non ſolos Grachos ob Virtutem Animum exercuiſſe.

Sed uno aſpectu, Græciæ & Romanæ ponet Virtutis patientiam.

Gaſpar Miaskovius Eques Polonus.

Polonice ille quidem Saphica barbito Ego Latine idem, eadem.

Ita ergo ipſe ad ſuum neſcio quem Herculem Sclavonium.

Triplici fixum gladio, Vetuſtas

Cui dedit pomum, generi futurum

Inclito ſignum ; bene temperatos
Quâ trahis ortus.
Gloriæ ſydus, nitido rigentes
Imbuens vultu tenebras Trionis.
Cujus auguſtis melior reſurgit
Ruſſia flammis.
Voce qua reddam numeros ? & Ore
Quo tuæ ſortis baſiabo Fata ?
Quibus aſpergam, manui recumbens
Imbribus ora ?
Ten ? decent Vmbræ ? male feriata
Carceris virtus colat ? Aſt penates
Quos teras ? opto tibi cultiores
Carceris Vmbra.
Aureis fulgens trabibus lacunar
Te decet: Non hæ Tenebræ: Procellæ
Omnis ut liber ; mediteris almæ
Palladis Ora.
Sola quæ tecum reſidens, tumultus
Orbe componat, Opifex Honoris
Quem Tibi fundet, vaga laureato
Gloria cornu.
Verticis tegmen lare comptiori
Et leves criſtas traheret, reponens
Tota ſudorem, fluitaret almo
Vſta labore.
Pondus hic haſtæ, Clypeoſque ſculptos
Gorgonis vultus, media locaret
Penſiles Aula propiore libros
Iungeret haſta.
Hinc ſuo Pallas vigiles in Orbe
Vocibus curas dabit ; & facundo
Lechici Regni ſeries revolvet
Conſcia vultu:

Seu laboranti Patriæ ſalutem
Fata; quæ tandem revehunt, docebit
Grande certamen, ſopiens labellis
Civis, & Hoſtis.
Sed quod infauſtis Genius ſub Aſtris
Arbiter ſortis malus ægrioris
Intulit, Sceptro Tenebras Polono
Intulit Arma.
Id malum pridem, trepidus catervas
Nubium cernens, metuebat ille,
Quiſquis anguſtam Patriæ ſalutem
Menſus ab Aſtris.
Vidimus nubes tonitru minantes,
Senſimus fulmen, male feriatum
Te ſimul fatum, rapiens rigentes
Merſit ad Vmbras.
Rete, quod Bellum plicuit tenendis
Piſcibus. Tu proh dolor, ominatis
Plaudis in filis, miſer ô profundis
Prenſus in Vndis.
Eſto. Te Pallas comitatur ipſis
Carceris tectis, levius periclum
Hæc comes præſtat, placida ſerenans
Fronte procellas.
Palluit Phœbus? revocabit illa
Lucidos Phœbo radios, Magiſtra
Voce demulcens gravius nocentis
Temporis Oeſtrum.
Hac modum ponet dolor: Et furentes
Æolus ventos premet, ac movebit
Carbaſis ſpei, Zephyros faventes
Ibis in alta.
Qua vehet Fatum, melius, ſub Aſtris

Sorte conceptum mitiore: Curas
Interim toto penè funerabis
Pectore questus.
Tu Deæ vulnus patulum recenti
Sæviens ictu Quiritatus: iram &
Iurgium Fati, lachrima calenti
Vrge perorans.
Illicet Pallas, nivea tumultus
Dextera tollet: simul atra nubes
E Fibris cedens, face faustiore
Pulsa peribit.
Illa monstrabit, periêre quanti
Sortis infaustæ, rigida procella. Et
Dum furit Fatum, cecidisse summo
Culmina calle.
O quot oppressæ numerabit Orbis
Tecta Virtutis! ruit invidenda
Faustitas Aula, graviore casu
Fulminis ictu.
Decidunt Fortes: nocuisse quantum
Cecropis dicam, populos beatæ
Invidos vitæ, probat id potenter
Fama superstes.
Carceres, quantum tenuêre Regum
Sanguinem Græci? tenebrisque vultus
Quot Virûm censes senuisse? fando
Deficit Annus.
Refricet mentem memorem Marathon
Isque qui victis Ducibus superbus,
Lauream Persæ retulit jacenti
Victor in hoste.
Quid juvat? vinctus docuit Coronam
Fati Virtuti dare, qua fatigent

Qui

Qui probi frontem, Dominaſque plantas
Compede ſolvant
Iam Diis alter, prope par, virili
Cujus è ductu Salamina mille
Claſſibus victis, notior vigebit
Prælia damnat.
Nam domi quantis jacuit periclis
Quaſſus & laſſus, populi ſiniſtræ
Iurgio linguæ, docuit Nepotes
Alta jacere.
Ille quid magnus Phocyon? quid uni
Socrates cultum referens Tonanti,
Ambo ceſſêre populi furori,
Ambo veneno.
Criminis falſi violenter acti
Patriæ lingua periêre. Virtus
Si nocet? Semper fuerit perîſſe
Grata voluptas.
Alter excelſi moderator Oris,
Proprio vitam rapuit ſub umbras
Invidam ferro, fugiens Tyranna
Providus Ora.
Plura ſunt Mundo retulit Nepoti
Quæ vetus Tempus, ſenium revolve
Græciæ plures periiſſe? penna
Inclita dicet.
Dicet & Pallas: memor omnis illa eſt
Arduæ Sortis, ſocioſque caſus
Græciæ noſcit, referente Diva
Omnia diſces.
Integros vitæ periiſſe Romæ
Quis ferat? Primus nimium Novercam
Inclitus nomen, tulit ille Romam
Coriolanus.

Quis ferat? Gallos ſuperavit audax
Patriæ vitam referens Camillus
Præmium factis fuit, Exulare
Orbe Paterno.
Illa fax Orbis, Cui fronte Laurum
Africus, tantâ peperit triumphus
Preſſa; Linternæ jacuit trophæum
Invidiarum.
Ille quid terror mage Numantini
Scipio Fati? gladio ſepultus
Intulit Nomen, Sobolem ſepulchro
Victoriamque.
Quis ferat ſiccis oculis jacentes,
Patriâ Natos, perimente Grachos?
Sanguinem celſi generis necari
Corneliorum?
Horruit Fatum Tyberis, retortis
Defluens undis, gemino gravatus
Fratre, dum fluctu Patrio nataret
Triſte Cadaver.
Attamen cæſi periêre Romæ
Vindices, Matri animos voventes
Dum furit, crudum ſobolis recondens
Viſcere ferrum.
Et quod haud credas populi tutati
Liberi leges moriuntur: atque
Penditur multo precium revellit
Qui caput, Auro.
O ſcelus? Matrem leget an Novercam?
Vos legit quiſquis periiſſe Grachi
Impiam Romam? leget haud Parentem
Ergo Novercam.
Tullium Roma furiale clodi

Iecit edictum: minus hoc: Amorem
Orbis ac Vrbis; rabies necavit
Antoniana.
Iam foro constans medio, Catonis
Mens stetit, spectans dubia Secures
Adstitit Virtus pone, nil nocenti
Auxiliatrix.
Hic sacro Pallas revocaret Ore
Gentium Sortes; rabidi furoris
Quid tulit Virtus: animosa in omnes
Enthea casus.

Cætera nihil ad publicam lucernam.

Finem ergo impono Capiti, & ad Grachum in Regem Electum redeo.

De quo sit

CAPVT VI.

De ordine Rerumpublicarum ac Confusione quas cum Horologio confero. De primis Grachi cogitationibus, in ipsis Regni initiis in ordine ad ordinem restaurandum habitis.

AGe Horologium sonuit, & nos admonuit sui. Construamus.

Quid ergo; dices tu? Mathematicum ages? qui promisisti Politicum? Non deflecto à tramite, Et in hoc Capite Politicum agam, ac Politicis Politicum construam Horologium.

Sed Principine? an Reipublicæ? an Vtrique?

Omnia Omnibus.

Struxit Guevara Principi, nec male, plauditur Operi, sed non Eleutheriana lamna.

Monarchicum potius illud, Et declinans & inclinans Principem ad nimium motum.

Breves nimium horas Odi; vel nimium longas. Medium enim tenet Virtus.

Placebit ego forſan cuipiam illud Aurum, ex Ore Aurei Marci ad Pollionem abſentem.

Vita (inquit) Imperatoris, nihil eſt aliud quam Horologium quod cum ſubditis vel conſentit vel diſcordat.

Rectè tu quidem Aureli, ſed ut abſolutus Monarcha non Rex Libertatis.

In Libero enim Regno, vita Principis, ac Princeps ipſe, non menſura, ſed Cuſtos Ordinis eſt dicendus.

In abſoluto vero Dominio, Princeps ipſe erit Horologium, ipſiuſque Vita menſura Ordinis, imo ipſe Ordo, in ſingulas horas tinniens

Sic volo ſic jubeo.

Et regit ille quidem, ſed mage regitur. Horologio enim opus eſt

Magiſtro qui regat.

Nec ſemper ab Aſtris, interdum à Machiavello.

Qui ubi regere cæperit, & Regnum & Princeps periiſtis;

Non ergo menſura Regni Rex Libertatis, ſed Arbiter menſuræ,

Nec id quod Regitur, ſed id quod Verè regit.

In Neronis autem Republica, erit ipſe Princeps Horologium, cum quo ſubditi vel conſentient vel diſcordabunt.

Conſentiunt autem ad ſpeciem Ore & Fronte licet Animis diſſentiant.

Facilis aſſenſus & conſenſus. Vbi ſingulas horas indicat

Ferrum non Sceptrum.

Seneca. Et verum ibi. Quod Civibus tenere te invitis ſcias

Strictus tuetur Enſis.

Quod ſi tali indice, indicantur & inducuntur Leges & horæ:

Vel

Vel invitus in ſenſa Tyranni conſentiet Orbis.

Et ſi percuſſo capulo (uti quondam ille) horas ſanxeris & Leges ac ut recipiantur petieris; Facile ſi ita petes impetrabis.

Et Reges Orbem in virga ferrea.

Sed finiamus Marco ſuum Horologium, Tyberium enim Cæſarem Fabrum ſapit;

Illud autem meum

Eſt libera & publica menſura, qua Actionum communium ſeries, infallibili motu & regula temperatur ac conſervatur.

Hæc autem menſura, quid aliud Amabo te? niſi Ordo?

Hîc enim ſolus eſt quo corrupto totius Reipublicæ ſtatus labaſcit, & integritas, quo incolumi viget, & in dies ampliora ſumit incrementa.

Quid autem ſit Ordo? Reſpondet Auguſtinus.

Ordo (inquit ille) eſt parium diſpariumque rerum, ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.

Vt autem intelligas quid dicat de Ordine, Perturba hoc ipſum quod dicit hac ratione.

Ordo eſt parium tribuens ſua rerum diſpoſitio cuique quæ loca diſparium.

Ecce in eo ipſo quod dixi de Ordine nullus Ordo ſed mira & mera confuſio.

Aſt nunquid partes omnes non ſunt? ſunt utique ſunt, ſed diſpoſitio deeſt ſuum cuique tribuens locum.

Quam diſpoſitionem à Fortuna ne exſpecta,

Nam Res humanas, ordine nullo *Seneca.*
Fortuna regit:

Vidiſti aliquam bene ordinatam Rempublicam? illi acceptam refer, Quando Machinam hanc & Vniverſitatis Horologium condidit Deus ſuum cuique rei locum domiciliumque attribuit. Cœlum enim Empyreum Intelligentiis dedit: ſtellis firmamentum: planetis Orbes: Ele- *Guevara.*

mentis Mundum. Avibus aërem: Terræ centrum: Piscibus aquas: serpentibus cavernas: Feris montes: Ita ut nulli non creato, locum in quo acquiesceret assignavit.

Quæ ergo in magno hoc Horologio parium ac imparium, ut vides est servata dispositio, eadem in alicujus Reipublicæ coordinatione.

Nemo enim author Ordinis in Republ. esse potest, præter solum DEUM.

Cum enim Ordo bonum quoddam sit, necesse est, ut summo illi bono, DEO nimirum acceptus referatur.

Sed & consensum publicum, Gentis alicujus, à fabricatione hujus Horologii non excludo.

Non male enim Appius dum dicit. Quisque suæ Fortunæ Faber.

Iuvenalis. Cui consentit Satyricus: ——— te

Nos facimus Fortuna Deam.

Quod si irato Numine in suam Fortunam publicam consentiant Fabri Horologium illud, inter confusionis opera referent ætates.

Quod si Astra collaborabunt consiliis & Ordini fabrefaciundo, omnia ibi ordinata in hoc Horologio, Et modus, & sonus, & partes.

Quod si aliquid ex iis mutaveris, transposueris, alteraveris, Ordinem sustulisti.

Porro & illud ad rationem Ordinis Publici pertinet, ut paria cum imparibus permisceantur. Nec sola simul paria, nec omnia. Nec sola simul imparia, nec omnia.

Sed si paria cum imparibus aptè disposueris Ordinasti: Si omnia tantum paria, aut imparia confudisti.

Ipse magnus, magni Horologii Architectus DEUS, vide ut omnia disposuerit.

Sapientia. Duo contra duo, & Unum contra unum.

Stellæ majori vicina est adstes Minor.

Et penes excelsam abietem, humilis humi serpit Viola.

Nec sola Cete grandia incolunt Mare, sed grandi Cete, connatant pusilli gobiones; Nec soli Elephantes, terram inhabitant, sed etiam sua cavernula est Formicæ.

Et in Horologiis, magna rota cohæret minori, nec nisi ipsa mota, movetur.

Ita in Republica ordinata, paria imparibus miscentur.

Nec omnes Cræsos, aut Iros, sed Cræsos Iris permistos videbis.

Nec omnes ad Noachum imagines aut stemmata referunt, plerosque ad ipsum sepulchrum comitatur ignobilitas. Nec omnes Titulis præeunt, aut Officiis, aut consilio, aut ingenio.

Est etiam suus numerus Regnis Quirites.

Nec omnes Civitates, Cracoviæ aut Poznaniæ, aut Leopoles sunt etiam pleræque minorum Gentium, puta Piasecznum, Osickum, Weywelnicay.

Et quod plerumque mireris.

Si sæpè seorsum intuearis pleraque in aliqua Repub. videbuntur tibi inordinata, quæ si omnia sub una ratione contempleris, prout nimirum ad publicum referuntur, invenies ordinatissima.

Sed maximè in ordinanda Republica, considerandum Ordinanti, Vt suus cuique locus tribuatur.

Intuere Horologium Macrocosmi, quam mirè omnia in se consentiunt.

Incipe à Cœlo, Ordinem ibi esse videbis: Sol Princeps Astrorum semper suo lucet loco, nec ambit Luna locum & honorem Fratris. Non Iovis vices agit Saturnus, nec Martis, Venus, aut Mercurius. Non gladio Orionis superbit Boötes, nec Cancri locum subit Scorpius, aut Leonis Virgo.

Devolve mentem & intuere ignem, semper ille alta petit, colloca sub ipsis syderibus glebam terræ, in ima ruet.

Piſcium genus ſua triumphat in aqua, nec æthera ſuſpirat, aut alas Aquilarum.
Philopona Formica laborioſa, ſua ſorte contenta vivit, nec Regum purpuras meditatur.
Atque hic demum ſupremam Ordinis rationem contemplare, tum redi ad tuam Rempublicam, & vide ac metire, an omnia ſint ſuo loco.
Si omnes ſibi eſſe videantur Saperdæ, ſi feſtivi, ſi belli cum revera ſint Copreæ.
Si virtutis aut ingenii locum teneat Ambitio, & Aurum; Si militent pueri; conſilium dent provectioribus, imberbes juvenes. Si jubeant ſervi, pareant autem Domini: Si viris Feminæ imperent; Si ſpirituales perſonæ, ſecularibus ſe immiſceant negociis, addo & negociationibus.
Ne tu eam Rempublicam in qua hæc videbis, dixeris Ordinatam.

Ordinem quid ſit habes. Locum huic ne quære alium
niſi hunc, qui Horologio datur.

Eminentiſſimus nimirum, ut ab omnibus poſſit audiri, & conſpici Publicum enim Ordinem, publicus maximè decet locus.
Nec tantum videri & audiri tantum, ſed utrumque: Vt rectè ineas horarum rationem, & Auris & Oculi utendum eſt Iudicio.

Nam ſæpe ſi ſeorſim ſpectes Errabis.

Eminere igitur Ordo debet, ut ab omnibus audiatur & conſpiciatur.
Ne ſenſim inter Cives irrepat illud crebrum in ore inſipientium Verbum.

Non putabam.

Ne vel excuſent, vel excuſentur, Ordinem ſe vel non vidiſſe, vel non audiviſſe.
Sed partium ipſarum ad ſe vocat diſpoſitio, & Frons Horologii.

Primæ ſeſe offerunt Horæ ſeu Leges.
Sed heus tu Stagyrita, Quid Lex?

Lex (inquit) eſt Communis Civitatis Conſenſus; Qui ſubditis præcipit, quomodo unumquodque agendum ſit.

Tot igitur horas habes, quot leges, Communem quoque conſenſum vocat legem.

Sed non placuit is Treboniano, ideo ſuo Corpore excluſit hanc mentem Ariſtotelis.

Et ad paucos hunc conſenſum revocat, Papiniani inhærens veſtigiis.

Communi ergo conſenſu Horologii hujus, Horæ conſtitui debent.

An quia Quod ab omnibus ſervandum eſt, omnes in id conſentire debent?

An quia Eadem ratio Conſenſus & Concentus, qui non niſi, omnibus ad numeros revocatis chordis efficitur.

Si ergo quiſpiam Rex aliquid ſtatuat, aut condat privata autoritate & independenter à Regni reliquis Ordinibus, id nequaquam Hora erit.

Sed neque etiam ulla Senatus conſulta, Horas dicimus.

Sed nec Plebiſcita Horæ mihi ſunt.

Sed quod REX. Senatus & Nobilitas decernit, id denique Horam eſſe ſtatuo & concludo, Quia communi conſenſu lata eſt & recepta.

Conſenſus autem hic, ut vult Ariſtoteles, ſcriptis præcipit.

Nihil igitur Legis robur habet, quicquid non Scribitur.

Quo enim Horæ, niſi numeris exprimantur?

Qui numeri ideo ſcripti & ſculpti ut ſæpius videantur, & in memoriam reducantur.

Nobilis Polonus es? Primum ergo, teneri te Leges tuas noſſe, ſcito Turpe enim eſt inſcius Legum Patriarum Eques.

Ac digna cujus Cenſoria virga notetur Legum ignorantia.

Memini me legiſſe, quod Cato Equitem Romanum, eo

quod Strigoſum Equum haberet, honore Equitis privâſſet.

Amabo quid faceret ſi videret Equitem, leges Equeſtris Ordinis ignorare.

Quod ſi etiam aliquas quiſquilias Sovisralii, aut Marcolfi, in vicem Herbulti voluntatem? Quo putas Cenſoriæ virgæ eum notaret Iudicio?

Sed cui bono hic Conſenſus ſcriptus? Nimirum.

Vt præcipiat (inquit Ariſtoteles) quomodo unumquodque agendum ſit?

Menſuraque ſit Actionum Publicarum & Modus.

Quod ſi mihi des Legirupam, Legifragum, Legiperdam aliquem qui nulla certa hora vitam metiantur, ſed exleges & exhori vivant.

Eos tu cenſeto utpote homines Extraordinarios, & à communi Vita exorbitantes, ſevero Iudicio caſtigandos, quod Ordinem non ſervent.

Porro legem in quatuor partior quadrantes, ſeu in quatuor Legis Virtutes,

Quas habe ex Modeſtino lib. 1 Regularum.

Vetare, Imperare, Permittere, Punire.

Hic quæres? An Virtus Legis, ſit ſupra Regem, an extra? Id eſt

An ordinis Cuſtos ſit extra ordinem? & ideo quia cuſtodit Ordinem, ipſe vivere debeat extra ordinem?

Seu. An Horologii Arbiter, vivere debeat Exhorus, ac ſine ulla Actionum menſura?

Affirmat Vlpianus libro 13 ad legem Iuliam & Papiam.

Princeps inquit legibus ſolutus eſt. Auguſta autem licet Legibus ſoluta non ſit, Principes eadem illi privilegia tribuunt quæ ipſi habent.

Negat Orichovius noſter in Fideli Subdito.

Sic

Sic enim alloquitur Sigiſmundum Auguſtum Regem.

Quærendum videtur, cum in Regno hæc duo ſint præcipua Lex & Rex, utrum horum alterum ſit majus; ut omni errore ſublato, intra fines officii tui certos conſiſtas. Si enim audiamus Romanos Iuriſconſultos, hoc eſt Tyrannorum Paraſitos, ſine dubio omnia ſumma in Regno tribuemus Regi. Nam & Iuſtitiam ipſam utilitate definiemus Regis: & Leges ipſius dicemus eſſe placitum, & nunquam rogabimus Regem. Quare? Nunquam jusjurandum erranti proponemus, ipſum poſtremo fatebimur, vitæ neciſque Dominum. Et hæc quo certiora ſint Regi, communiverunt ipſi crimine Majeſtatis leſæ. At nos non in Neronis Regno nati, ſed in Sigiſmundi editi Patria, ita à Majoribus noſtris edocti ſumus, ut ſciamus Regem deligi propter Regnum, non Regnum conſtitui propter Regem: Ex qua ratione multo Nobilius atque dignius arbitramur eſſe Regnum Rege. LEX vero cum anima ſit & Mens Regni ideo potior eſt procul dubio Regno, & conſequenter Rege.

Et infra.

Si quis ergo Trebonianus, aut aliquis ex Servitute Romana Vlpianus tibi blandiens te Summum in tuo Regno eſſe dicat, Negato. Legem in tua Patria regnare dicito non hominem.

Tranſeo ad Minuta.

Per quæ Terminos Iuris intelligo. Sed ne in his minutis occupem calamum Orbitam noſtri Horologii contemplabor.

Quid enim hæc niſi ipſum Ius?

Hoc autem quid ſit? Celſus doceat.

Ius inquit eſt Ars Boni & Æqui.

Vtinam Index hac Orbita & Cyclo decurrat nec aliquando exorbitet, ſuoque fixus Centro, intra Orbitam, ad

ſævi-

ſævitiam & clementiam moveatur, Quod faciet, ſi triplici ferro hunc Cyclum conſtare animadverterit.

Tribus inquam Præceptis Iuris, quæ accipe ex Vlpiano,
Non ſemper enim hic vulpem gerit,callido ſub pectore.
Præcepta autem ſunt.

Honeſtè vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere.

Sed jam hic opus Indice, qui ultro tibi ſeſe offert, ſi literam mutaveris Iudex nimirum.

Cui Centrum, motus, & axem figo Iuſtitiam.

Quæ eſt ex Iuſtiniano Conſtans & perpetua voluntas, Ius ſuum unicuique tribuendi.

Hoc ergo Centro & Axe, voluatur ſemper noſter Index & Iudex.

Ejuſque voluntas, quam conſtantem in hoc Centro volo, etiam in proprium ſanguinem, ubi Patriæ requiret Amor.

Talis Index ille Titus Manlius.

Qui Filii triumphantis & laurea digni, caput ſecuri percuſſi, juſſit, eo quod contra Reipub. decretum, auſus fuerit cum Hoſte manus conſerere.

Opto Iudicibus inſpectionem, quid cauſæ?

Invenient Libertatem ab affectu, & Amoris viſcum, quo Patriæ junctus magis adhæſit quam Filio.

Ergo licet crudelem eſſe in Filium Patriæ cauſa? Quid ni;

Verba à me ſunt Parentis Optimi, Audi. Sic enim alloquitur Filium ſecuri feriendum.

Livius. Quandoquidem, tu Tite Manli, neque Imperium Conſulare, neque Majeſtatem Patriam veritus, adverſus edictum noſtrum, extra ordinem in hoſtem pugnaſti, & quantum in te fuit diſciplinam militarem, qua ſtetit ad hanc diem Romana res ſolviſti, meque in eam neceſſitatem adduxiſti, ut aut Reipublicæ mihi, aut mei meorumque obliviſcendum ſit, nos potius noſtro delicto plectemur, quam Reſpublica tanto ſuo damno noſtra peccata luat. Triſte exemplum ſed in poſte-

poſterum ſalubre juventuti erimus. Me quidem, cum ingenita charitas liberum, tum ſpecimen iſtud Virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet. Sed cum aut morte tua facienda ſunt Conſulum Imperia, aut impunitate in poſterum abroganda; nec te quidem ſi quid in te ſanguinis noſtri eſt recuſare cenſeam, quin diſciplinam militarem, culpa tua prolapſam pœna reſtituas. I lictor deliga ad palum.

Sed ne te effundas in admirationem Manlii
Alius te Iuſtitiæ campus vocat, legentem.

Dum ergo aliam quercum excutio: Tu lege. Aures enim, & Oculos & mentem percutiam, Iudicio retroactis ſæculis inaudito.

Iudicem hic nimirum habebis, ac Indicem, quia ſeveriſſimum, ideo utiliſſimum, Sed rem accipe.

Ex Sigonio, Baronio, Crantio, Godefredo.

Erat Otthoni Tertio Imperatori, Auguſta, minimè tamen Auguſti pudoris ac Imperatorii
Maria, Arragoniæ Regis Filia.

Quæ fractis verecundiæ repagulis, Comitis cujuſdam ad Mutinam formæ oculos vendiderat, Iunxerat & preces ad copiam & uſuram ſui. Nimirum didicerat, male ſui compos Auguſta, ab illo Aulæ ſervilis paraſito Vlpiano, Principes & Auguſtas eorum legibus eſſe ſolutas: didicerat inquam & crediderat: Sed non tulêre eam Frontem Fœminæ, Comitis & pudor, & in Deum ac Conjugem Fides.

Ergo non fert hunc ignem ſed excutit: ac generoſa repulſa inter ipſa initia reſtinguit, ſi tamen reſtinguit.

Dolore enim ac furore efferveſcens Fœmina, Ioſephi, Criſpi, ac Hyppoliti tempora, ſcenæ ſui temporis revocat, reteque contexit, ac ſtruit Innocentiæ, ac virtutem in Armis expertam, Adamantinam in vitium, pertentatæ pudicitiæ inſimulat, miſcetque in auribus Imperatoris; dolorem & la-

chrymas : ac ſuſpirat callida architecta ſceleris, pudoris nunquam attentati Vindicias.
Illuſit ergo præceps in conjugem Amor, & maleſana Fides Imperatoris rationi, & necdum plene è Fide eluctatus; Damnat & occidit Comitem Innocentem.
Bene eſt, abunde eſt. Rete jactum, Hæret optata præda Caſſibus. ô Imperatrix! Triumpha, & technis applaude:
Spectat mentem palliatam, Cardiognoſtes DEVS, nec labarum quod prætendis pudori æſtimat, aut compoſitam frontem, ſed intimis hærenti fibris Dolo, Vindicias parat.
Quid ergo?
Damnatus Comes, Conjugiis ultimam aurem poſcit, & impetrat, cui explicet & ſceleris ſeriem & ſecretum; Vltrici non tam Vitæ, quam Famæ ac in pari jactura, vitam eligit quam perdat, eamque ad Securis ictum projicit.
Nunquam majori Eloquentia Fides in Maritum locuta.
Adeo nec Cauſidicina opus cum cælum pro te partes agit.
En qua minimè ſperas, affulget tutelæ ratio.
De ſuo tunc forte more, Ius dixit Cæſar: Neſcius
Iudicemnè ageret an Reum.
Et an Conjugi per eum, Fatum & ſerus Veſper, ignes indiceret & indicaret.
Sedit ergo
Cum ecce tibi adeſt illa Mulier, quam Viduam fecit Auguſta libido, ac intrepido vultu, excipiens Imperii Majeſtatem, umbram putat non Solem, ſolia & Iudicia Principis.
Sed nec incomitata, quamvis ex toto Comite vix ſecum detulit illa Caput.
Idque à vultu judicis procul, procul à lumine.
Nec mora; Attonito Tribunali, incluſum dolorem pectore rupit, ac dat in lucem.
Vindicias (inquit) Cæſar, & Iudicium. Supplicem me ad te mittit Iujuria, interempta Virtus.

Excubias agis Æquitatis: Iudica & Indica pœnam percussori Innocentis.

Ad hæc Imperator. Quid alias pœnas poscis nocenti Mulier!

Moriatur.

At illa cruentam custodiam abditi Capitis, excutiens ante pedes Imperatoris, evolutus trunci corporis lipsanis:

Age Imperator Oculos pasce & Animum si potes.

Metire tuam crudelitatem, & caput quod immerito recidisti contemplare:

Et pœnam vel te Iudice subi, vel si libeat esse inconstantem damna & revoca:

Dixisti tamen Moriendum Nec hære?

Innocentiam Viri, si Testes & alia desint, probet à sua Natura degener, si quid in mea membra poterit, inductus ferro Ignis,

Convertam in precium Innocentiæ flammas, quæ si me non læserint te sceleris condemnabunt.

Dixit, Et ferri ardentis ambabus manibus flammeum rigorem contrectavit spectantibus ac stupentibus universis,

Discant sæcula.

Quod adstruat se & asserat rebus afflictis Divina providentia, & dum suspiras DEVM, tuis tenebris invenies lucem.

Clarius meridie in hac Fœmina, miscet se humanis DEVS, quæ hæroico & plusquam humano facinore Affectus calcavit Imperatorios, & ussit cor Otthonis, quas ipsa non sensit flammis, triumphatoque igne victrix etiam Animos adstantium in Triumphum duxit. Dicens

Age, age Cæsar

Natura & DEVS, & tua Vox te in pœnam vocant. Quid fluctuaris? Inter has voces, & secum depugnantem, quem Vindicem timebat DEVM. luctatus Imperator, con-

cidit, teſtimonio victus & æquitate in vota Fœminæ Crimen fatetur, & ipſius arbitrio & pœnam relinquit & Vitam.

Quid hic obmuteſcis Vlpiane?

Sacroſanctum hoc Tribunal ingredere,& aude,Aude inquam, in aurem Principis juſtiſſimi inſuſurrare?

Principes legibus ſolutos eſſe.

Apage tu dicet Ottho, purpuræ palpo dementioris, tuis hæc Neronibus & Domitianis ingere. Aliud enim mentem forum urget, & Tribunal, ni paream legi.

Principem me fateor, ſed non poſſum Imperare Æquitati,

Quare moriendum eſt.

Stat enim quam ſemel dixi Sententia, nec mentem mutabo nec Decretum.

Perge tu Mulier & fac quod Lex jubet, pareo enim & obtempero. Verumtamen diem poſco & moram, qua vivam dolori & tantum mihi,

Movit circumfuſam Principum Coronam, aura ſiniſtra Principis, ac Sydus & occulti miranda Potentia Fati.

Ergo ſupplices Fœminæ, poſcunt vitam Cæſari, ac vix tandem impetrant.

Non abiit tamen inultum ſcelus, & vita Imperatoris Auguſtæ morte ſtetit.

Nec aliter voluit Heroina Fœmina, quam ut flamma,Fama innocentis Mariti expiaretur.

Factum ad votum.

Quin & quatuor Caſtra Viduæ, redempti Imperatorii Capitis ergo donata:

Documentum fuêre Poſteritati

Principes, eorumque Auguſtas, Legibus ſolutos non eſſe.

Actus hic pulcher Iuſtitiæ ludus, in hoc mundi Theatro

Ad Mutinam

Anno Reparatæ ſalutis 998.

Sed quid tu horrescis? Tragœdiam ego tibi graviore instruam cothurno, Quam tamen vix probo, nisi à fine & mente facientis, factum enim atra Crisi noto, & damno

Doceberis

Fuisse Indices & Iudices, qui non tantum filiis & conjugibus, sed etiam sibi ipsis horas indicavêre.

Vis exemplum? Charondas erit Thuriorem in Græcia Legislator. *Laërtius in Pythag.*

Is Civilium factionum ac seditionum ardorem, reprimendum ratus, indixit & indicavit, Civibus seditiosis Legem. *Valerius Maximus.*

Ne quis in contionem cum telo venisse vellet, qui aliter, id esset Capitale.

Primus hanc solvit qui tulerat, nam è Rure rediens, armatusque Fortuna suæ necis. Cogit subite Concionem, in eamque se infert armatus.

Adeo cæcat etiam Optimas mentes Oblivio, magnæ sæpe Noverca Indolis,

Quid fit? Invido Oculo ac dente æmulorum, damnatur, non tam Oblivio quam licentia Charondæ, Ac innocens violatæ legis perstringitur Legislator.

Ohe inquiunt, quam bellè fers & violas Leges? Hem Contio, ac Telum, & Capital.

Queritur his auditis secum tacitus Charondas, Errorem ac Oblivionem.

Et inter alta ac generosa cogitationum, conversus ad Æmulos.

Me hercule ita est inquit ut dicitis Amici, Sed ne vobis idem meo Exemplo liqueat, eandem quam temeravi legem, & sancio Legislator, & vindico Reus,

Dixerat; ac paratus omne legis periculum subire, suo, propria in se pœnas repetit manu, & eripit vitam, eo quod contra legem tulerat, Ferro Potiorem ac diuturniorem fore ratus, si sanguine Legislatoris in animis adstantium scriberetur.

Eia Vlpiane ubi es? I nunc & Legibus Principem ſolutum eſſe dicito.

Sed dices, Nimium id barbarè Fateor: Sed in illis tenebris & Ecclipſi veræ Fidei, habuit quod miraretur & imitaretur Poſteritas.

Habes Lector exteriorem Horologii Frontem,quod reliquum eſt intra Ordinem ingredior.

Primæ ſeſe offerunt Rotæ.

Seu Proceſſus Iudiciarii ad Legum Virtutem ac Poteſtatem.

Suetonius. C. Iulius Cæſar, deſtinabat Ius Civile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros,

Iam ergo & tunc Romæ, multæ fuerunt Rotæ, proceſſuſque ſine fine, ad legis virtutem & effectum.

Optarem Iulium aliquem, Legibus non formandis, ſed breviandis.

Iam pridem ſuum damnat Germania Lotharium,multas enim moras, & Rotas proceſſibus traxit, malis Ordinis & Horologii arbiter.

Audi Lipſium in ejus Regno natum & educatum, quid de eo dicat. Bone inquit Lothari, Manes tui per me quieſcant, ſed Roſæ aut lilia ſepulchrum tuum non ornent,qui tot nobis ſpinas & tricas ſeviſti:

Sed dicent. Aliter fieri non poteſt, ſi veram palpemus cauſam.

Ego non deſpondeo in meis Rotis animum, quamvis alibi videam, & plures Rotas, & longiores Proceſſus.

Pergo ad pondera. Quæ duo appendo huic Ordini Pœnam & Præmium.

Sed & addo eam quæ retardet Animi motum, ad utrumque pondus Rationem.

Ne quoque ſonus deſit, huic noſtro Ordini, ſint Decreta.

Quæ velim Iudicio & Legibus conſentanea.

Aſt

Aſt dum ego de ordine. Ecce neſcio quis, & unde vellicat calamum dicens.

Heus tu inquit: Polonus es an quiſpiam alius?

Ego vero hominis frontem non ferens: Quid tua? Sed ſi prurigo tanta.

Polonus ſum; dixi ego, Quid inde?

Ordinem inquit ille tuæ Patriæ, ac Horologium ne quæſo conſtrue.

Cur ita? inquio.

Quia Polonia inquit. Caſu viget & Confuſione regitur. Gens abſque conſilio. Vtinam ſaperent, intelligerent, ac noviſſima providerent.

Heus tu bone vir. Ater an albus ſis neſcio! Argus, an talpa, ignoro; Cum tam acutè pervideas quid Foris: Tuæ Domi cæculus.

Vt ut ſit Politicum te tamen ferunt, cui pro vigilantiſſima Dioptra, Qua multo antequam aliquid ſit, vel fuerit, perſpicis gratias agit Polonia; Caſu ergo tu regi Poloniam putas optime Politice? Ego vero non tam impius ſum in Divinam providentiam, ut dicam Caſu Regna regi; Eſt enim hæc Dea omnibus Imperiis & adſtes & nutrix, & tunc cum tibi ruere cuncta videntur. Caſu major DEVS.

Supponat Omnipotentem manum ſuam ne collidantur. *Auguſtinus.*

Multa mira Paradoxa in hoc ævo legi. Iſtud vero eſt culmen omnium Paradoxorum, in quod conſentiunt moderna ora cum veteribus, & dicitur jam bis mille Annis, ab incunabilis hujus Regni.

Confuſione regitur Polonia.

Fælix illa Confuſio dicenda, quæ inter tot ſudata bella & pericula virgo hujus Gentis Gloria eſt eluctata.

Annales Orbis revolvamus, & Monarchiarum ætates, motus ac periodos.

In

In quo Imperio videbis, tam acria ac diuturna bella pugnata?
Inter quæ tamen duorum milium Annorum ambitu, gaudet ſua integritate ac libertate Polonia.
Quæ licet interpolatas ageret Ecclipſes, ſemper tamen huic noſtræ Aquilæ, ſalva ſtetit ſua incolumitas.

Lucanus. ———— ſic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes
Concidere has.

Nobis ſtantibus. Et tamen in ore omnium Confuſione regitur Polonia.
Non hac, non hac, ſed DEO. qui tanquam Arbiter Horologii perfectus, Ordinem hunc Regni noſtri firmat, atque cuſtodit ne incompoſitè feratur. Vt tunc maxime ſtemus ac vigeamus, cum arbitramur nos cecidiſſe.
Prorſus ita eſt inquit Lipſius, per cauſas medias, varie nexas, prima illa cauſa omnia temperat, ſuaviter prudenter & utiliter, nec aliter eſt cenſendum.
Non ergo poſthac obgannias, tu qui dicis.

Fato prudentia major.

Nam mox vertam & dicam: Fatum majus Prudentia
Noſtrâ inquam humanâ; Quam tenebras dicito ſi Cœlo conferas & Aſtris.
Ordinate ergo ut ut vultis Politici veſtras Reſpublicas.
Hæc tamen Magiſtra, Prudentia inquam Divina, ubi ordinaveritis videbit, & adferet veſtræ prudentiæ & Ordini confuſionem.
Habuit & Græcia ſui Magiſtros Ordinis, habuit & Roma.

Sed Ordinem confudit Fatum.

Quem etiam & nunc calcat, major humanis Divina providentia.

Quid ergo Calamus noſter ô Numen?
Tibi debet quicquid in ea eſt Ordinis Polonia.
Magne etiam in minimis DEVS.

Claudat

Claudat Herbultus.

Genium inquit & ingenium hujus Reipublicæ Polonæ nosco & cognosco, quæ nulla re à fine suo impediri potest. Aquæ similis, diruit diluitque obstacula, quæ impediunt naturæ illius vim, tam lente ut vix animadvertas, sed tam fortiter, ut obsisti non possit.

Habet ergo suum motum & Ordinem hæc Respublica, occultum illum quidem, sed quanto occultiorem, tanto efficatiorem.

Quem, ne semper omnia in Vniversalem causam referam,

Post DEUM refero acceptum Gracho Legislatori & primo hujus Ordinis Poloni Architecto.

Quem per Palatinos collapsum & confusum, formæ reddidit meliori ubi primum Aurea pax affulsit. Quæ Lux, hoc Duce tandem Poloniam respexit. Post tot rerum discrimina, & Civilia Bella.

Prima ergo Grachi cogitatio, ubi conjecerat oculos in Ordinem fuerat Pericula omnia avertere, & suam sibi reddere Poloniam.

Ea in re Ordinem secutus, quem Flaccus suo Augusto scripsit.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: ———

Arma primo ponit, Deinde mores Principis, Tandem Leges.

Contrahe in duo Arma nimirum & Leges,

Cui divisioni, seu potius Officio Principum & Rerumpublicarum consentit Iustinianus.

Summa inquit Reipublicæ tuitio, de stirpe duarum rerum, armorum scilicet atque legum veniens, vimque suam exinde muniens, felix Romanorum genus, omnibus anteponi nationibus, omnibusque gentibus dominari, tam præteritis efficit temporibus, quam Deo propitio in æternum efficiet. Istorum etenim alterum, alterius auxilio semper equit; &

tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quam ipſæ leges armorum præſidio ſervatæ ſunt.

Vtrumque præſtitit Grachus.

Ac primum quidem aggreſſus, Ferro pacem quærendam eſſe duxit & Ordinem.

Nullum enim Horologium ſine Ferro.

Nec niſi armis ſtetiſſet ordo Lycurgi: Sed & Romanus Ordo à Lucretiæ ferro duxit originem.

Quin & ipſe Chriſtus Ordinem à Ferro: Non veni inquit mittere pacem ſed gladium.

Huc ergo primam mentem noſter Grachus.

Firmat Dlugoſſius:

Conſiderans autem plurima bella, in id tempus quaſi quadam conſpiratione contra Poloniam ebuliſſe, ad reſiſtendum quoque ſingulis vires deeſſe, quædam pactis intercepit, reliqua aggreſſus tanta fælicitate & ingenio geſſit, ut ex quolibet certamine victor rediret ac triumphator. Qua ex re & militum tepidi animi, ex ſuperioribus congreſſibus infeliciter geſtis ſunt confirmati, & apud hoſtes fama ejus increbreſcens, & contemptum ademit & pavorem incuſſit.

Pacare Imperium aggreſſus Grachus, mage viribus quam pactis hoſtes exturbavit. Nec ſolum eos qui irritantibus Palatinis arma moverunt Sed & Gallos.

Audi Dlugoſſium:

Cum Galli cæteris Provinciis peragratis, etiam Pannoniam contigiſſent, & eam variis bellorum turbinibus vexaſſent; in Poloniam ingreſſuris Grachus occurrit, & pugna commiſſa inſignem ac memorabilem victoriam de Gallis, cum robore veteranorum ac exercitatorum militum, tum aſtu tum arte militantium reportavit.

Quæ autem præmia Gracho Polonia?

Ne majora expectes. Amorem ſuorum in Triumphum duxit.

Aperte

Aperte Dlugossius:

Qui & si charus esset suis, hoc tamen Triumpho de Gallis relato charior honoratiorque esse cæpit, majorique devotione & promptitudine erat sibi ex tunc à Polonis obtemperatum.

Habes artem Amoris extorquendi à Subditis Princeps.

Si vis amari, Bella
Fortiter, Feliciter
Vince, non Vincare:
Auge, non Perde:
Amplia Regnum, non Imminue:
Volve & scrutare Polonos Fastos.

Neminem amatum videbis Regem, nisi aut sui, aut multorum Regum Triumphatorem.

Sed & revoco illud Anaxagoræ: Expende.

At enim ô Pericle, Quibus opus est lucerna, oleum infundunt.

Infundite, lucebit;
Agite, Amabunt;
Facite, Vivetis;

Pulchrè Ocellus Belgii.

Vt Sol in Aurora tenuior assurgit & inclarescit: Sic ex Virtute & meritis fama cum ævo ipso augetur, & crescit: Hoc velim equidem amare Principem: & ut trahat illum *Lipsius.*

——— Fax mentis honestæ
Gloria. ———

Addo: Et Amor populi. Quod Tributum non penditur à Polonis, nisi Principis magnanimitati.

Lege Symbolum Roxolanum:

Quare sis tu Sapiens Rex, sis Iustus etiam licet, tamen si te imbellem cognoveris esse, nihil habentem nervorum ac virium, nihil tibi proderunt apud nos cætera, quantumvis ea fuerint magna atque præclara. Hæc enim *Orichovius.*

ista de qua loquor Fortitudo, proprie Virtus dicitur, quod sola plane Viros efficiat. Quæ qui Reges carent, imbelles atque effæminati dicuntur abjectique, & qui ex contumelia nomen traxerunt Sardanapali.

Sed jam pacata est Polonia.

Ac in finibus Regni, pro Libertate feriatur, & excubias agit Gladius.

Redeamus cum Victore Gracho in Poloniam ad Rempublicam Ordinandam.

De qua habeto

CAPVT VII.

Dlugossus.

Rebus foris constitutis Grachus Domesticam Licentiam coërcet.

NOn solum in Publicis rebus cogitanda est Ratio Libertatis quæ sequatur, sed etiam Licentia quæ vitetur.

An quia Nullus gravior Casus quam Licentiæ?

An quia Granditer ruat necesse qui licentiosè vivit?

Docuit nostram Libertatem Icarus medium tenere, nec Omne licere tutum, monet

Iuvenalis. ——— Mare percussum puero

Et licentiosus Error, vix integro Mari expiatus.

In Cæreis alis quæsitum fuerat Icaro & Dædalo præsidium, ex harum remigio, ille tulit vitam hic mortem.

Disce hinc In alis esse mortem, si nimia incalescant Libertate.

Disce In alis esse vitam, si hæc avis libera, medio distet justo à licentia & servitute.

Quisquis liber es, volas fateor.

Sed ni certis legibus Non volas, sed cadis,
Volare enim incerto tramite perire est.

Vnum tantum alitem Iovi deferre fulmina didicimus;

Et

Et ſacra pagina miratur. Viam Aquilæ in Cœlo:
Quæ ſtupentibus aliarum Avium alis, nubibus innatat.
Si tamen & hæc altius volet, quam par ſit, & Lunæ ambiat inconſtantiam:

Icarum aget non Dædalum.

Oculos exerceat hæc Avis in ſplendore Solis, ſed Alas coërceat à Calore.
Minus hic cautus Romanus Ales, qui dum ſublimi vertice ſydera ferit, Terram mareque grandi implet ruina.
Hujus Error & caſus, veſtram Aquilam erudiant Poloni;
Vt diſcat: Volare conceſſum Libertati, non evolare.

Vin ſignum Icareæ Libertatis?

Habe

Si videris aliquam Rempublicam, in qua unuſquiſque vivit ut vult, & ſuæ libidini (ut Euripides ait) indulget;

Icariam puta non Dædaleam.

Vivere ut velis tibi, liberum tibi eſt, ſed non libertas eſt.

Vivere ut velis Patriæ, id demum liberi eſt, & vera Libertas eſt.

Si ita vivas, ut libidini tuæ indulgeas, non Reipub. te natum puta, ſed tibi Icarus es.

Ruina te triſtis manet & interitus.

Si ita vivas ut velis, & ita velis ut vivas, ut convenienter Reipub. vivas, Libere vivis.

Dædalus es, nec periturus volas.

Convenienter autem Reipublicæ vivit, qui volat & vult omnia intra terminos libertatis.

Hi autem duo ſunt Ius & Vis.

Ita enim Florentinus.

Libertas eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid Vi, aut Iure facere prohibetur.
Clarius ego ad normam Polonæ Libertatis, de qua in publicis

omnium Ordinum Comitiis audiamus nomine Nobilitatis Iacobum Sobiefcium perorantem.

Cujus Polonam facundiam Romanæ permutavi, tempori enim meo fervit & loco.

Sic ergo alloquitur noftrum Sereniffimum:

Ea eft vis Libertatis Sereniffime Rex, ut fecretis fuis cogitationibus non fatietur, fed inter animofa liberarum meditationum vota, ultro liberiorem vocem advocet, quæ fit & fideliffima interpres folutæ jugo mentis, & generofiffima teftis, fuæ perpetuæ in patriam voluntatis. Liberas autem eas cogitationes effe exiftimo, quæ ab omni adulationis & fimulationis labe & contagione vacuæ, inter negotiofiffima Reipublicæ otia, exercent & agitant pro Patria & Libertate, liquidum & fine cera, & conftans fibi omni loco & tempore defiderium. Liberas vero illas voces duco: non quæ à malefana & effrenata licentia ac petulantia, fuam repetunt vivacitatem, fed quas è debito reverentiæ fonte emanantes Regiæ temperat fublimitas Majeftatis, & in hoc Orbis Poloni theatro Amor in patriam, fides, virtus, & cujufque officium faciunt exaudiri. Infælices ille, & ipfa infælicitate infæliciores fuêre Monarchiæ, quibus florentibus, liberioris vocis vigor, ac impetus æternis filentii legibus retundebatur: quibus vigentibus fuperciliofo Neronum faftigio perinvita taciturnitate litabatur: quibus ftantibus, inter acres morfus doloris, & acerbioris fortis ulcera, fola gemituum & fufpiriorum medicina levamen temporum vulneri tribuebat. Quod fi & ipfarum lachrymarum folatio, oculus Imperantis invidebat, ipfum Ius naturæ, acerbiffima vi frangebant, & luctus publicos, in publicos plaufus vertere cogebantur. Quod fi aliquis clandeftinus & reconditus angulus, ad tacitum

tacitum congressum & sermonem de Principe læsos animos invitasset, machinationes & conjurationes in caput Imperantis, mussitantium inter se susurri clam struebant, & fabrefaciebant. Stant à mea sententia memores temporum Romanorum Fasti, triumphant in illa Nobilitatis Romanæ infælicitate scriptorum, calami, & in obscuro atramento,

Lucem lachrymis illis quærunt,

Quæ non cessionibus ut quondam Libertatis jura salva & integra cupiebant, sed temporum injuria coacti, in fraude fraudem eligebant.

Habet profecto libera Respublica nostra hanc unam, quæ summopere necesse est recreet, ac sustentet consolationem, quod non eo loco, nec ea Fortuna Fata res nostras esse voluêre: Providêre eæ nostræ consolationi, sapientissima majorum nostrorum consilia, Qui inter ipsa increscentis Libertatis primordia, qua ob religiosissima, ac inter omnia pericula infracta, in Regiam Majestatem merita, & obsequia, à Principibus suis fuêre quondam donati, ac dotati: illud non postremum habuêre, ut colloquio publico cum iisdem Principibus habito, si ratio temporum ita postularet, eidem mederi & prospicere possent Libertati.

Qua re, quid gloriosius Polonæ Nobilitati & utilius potuit obtingere?

Quam ut in oculis & auribus Parentis Patriæ communi utilitati prospiceretur? Quid autem fælicius potuit ipsis Principibus accidere, quam ut candida & minime fucata Libertate subditorum, (quæ si vera est vulnus tegere nescit) perfruerentur?

Hæc ille & verè & liberè,
Pro libera voce, quam diximus in Libero Regno requiri.

Non

Non vero Licentiam.

Quam procul velim, ab omni libero actu, liberi Regni.

Volet qui liber eſt, non nimium volet. Volat autem nimium ſi nimium velit.

Ideo Termini volandi ponuntur à Florentino Libertati, his verbis,

Niſi ſi quid Vi, aut Iure facere prohibetur.

Sed quam mihi Vim Florentine? Vimne tu illam?

Neceſſitatem rei faciundæ, præter voluntatem ejus qui liber eſt exortam?

Atqui hanc, quia Tyrannica, tibi ſerva: Liberi enim eſt non cogi;

Et quod præter voluntatem hominis liberi fit, ſerviliter fit.

Si autem per Vim intelligas,

Habitum qui, inclinat voluntatem ad obediendum rectæ Rationi?

Id eſt Virtutem?

Tacitus. Summum illud hominis Bonum

Conſentis Doctori Gentium qui dicit: Omnia licent, ſed non omnia expediunt.

Quod ſi per hanc Vim intelligas Majoris rei impetum cui reſiſti non poſſit, is autem impetus ei competat, qui ſe Liberum jactat?

Rectiſſimè tu & ad palatum:

An quia Liber ille dicendus non eſt, qui Vi agit & impetu?

An quia Qui Vi agit, contra Ius agit; Qui autem contra Ius agit, nequaquam liberè, ſed licentioſè agit.

Quod ſi tu mihi de talem Rempublicam, in qua abuſus Libertatis triumphat, & ubi Vis in Ius exercet Dominium.

Piſcium Rempublicam eam puta, in grandi confuſionis Mari natantium.

Nullibi enim Vis conſtantius exercetur. Sibi quiſque Piſcium vivit:

Et

Et qui ex eis Fortior, is Tutior.

Adeo Capitales invicem hoſtes pelago innatant.

Cui plus virium ſuppetit, ei imbecillior turba piſciculorum vitam debet.

Cui grandius Os hiat; Fatale in minores exercet Imperium, & deſpicatui illorum habet exilitatem.

Sed & is glorioſus ac Triumphalis vorator, qui paulo ante captivam turbam Piſcium, in ventris horreum condiderat.

Habet quem metuat ventrem, ſi quis Mari innatat grandiorem.

Et ſæpenumero fit. Vt uterque Et voratus & vorator, in potentiori ventre ſuccumbant.

Sic vivitur: Vbi Vis impune, ſub Libertatis titulo, opprimit & evertit, non ſolum Civiles, ſed etiam ipſas Gentium ac Naturæ leges.

Ne igitur tu mihi liberum, qui Vi agit, ſed licentioſum.

Sed neque eum, cui id facere libet, quod Iure prohibetur.

Ad Icarianam Rempub. hunc relego.

Neque enim Libertas Polonæ Reipub. eſt finis Æquitatis, ut plerique, ſed falſo exiſtimant.

Sed Æquitas & Iuſtitia eſt finis Libertatis.

Neque enim hic populariter ſapimus, ut dicamus. In noſtra Repub. liberum & æquum eſſe quodcunque velit quiſque facere.

Sed dicimus; Ibi demum Libertatem veram eſſe,

Vbi vivitur convenienter ad Reipub. formam.

Id autem eſt ſecundum Ius vivere. Secus autem qui vivit, nequaquam Liberè vivit.

Non enim Reipublicæ, ſed ſuæ licentiæ vivit.

Libertas ſiquidem Reipublicæ Polonæ, nil aliud eſt quam Ratio bene & convenienter vivendi, juxta formam Legum & Regni, cum uniuscujuſque voluntate conjuncta.

Licentia vero eſt Impunita facultas agendi aut loquendi quæcunque placent.

Vel naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, etiam quod Vi aut Iure facere prohibetur.

Varsevicius. Quod si è me quærat aliquis, ut olim ex Ociesio nostro publica functo legatione.

Quot Lucios Veratios, Polonia etiamnum sortiatur, qui modica exolutæ pecunia, in obvios quosque impune & impudenter grassentur.

Esse quidem Veratios fatebor, id est homines licentia tumentes.

Sed non deesse quoque severas leges, per quas effrenata licentiosorum libido, intra certos cancellos restringatur.

Erat autem Lucius Veratius Romanus,
Vt verbis Agellianis loquar homo Nequam.

Qui pro delectamento habebat, os hominis liberi, manus suæ palma verberare, Eum servus sequebatur, crumenam plenam Assium portitans, & quemcunque depalmaverat, numerari statim juxta Duodecim Tabulas viginti quinque Asses jubebat.

Lex autem Decemviralis sic erat concepta.

Si injuriam faxit alteri, viginti quinque æris pœnæ sunto.

Talis Veratius

Non solum autem Veratios, sed & ipsos Icaros non diffitior in Orbe Polono reperiri, sed quos altius quam par est volantes. Sacratissimæ Iustitiæ & Libertatis Sole liquefactæ alæ, inter ipsos primos deserunt conatus.

Age: Revolve Fastos Polonos. Quot palos invenies, in quibus male consulti Icari, vitam & famam amiserunt & expiarunt.

Hærent adhuc in oculis, tristia licentiæ punitæ documenta.

Et necdum in recenti memoria hominum legalis severitatis exempla deferbuêre.

Expiat ergo licentiam si quæ est Polonia, & purgat seipsam à libidine Icarorum.

Atque

Atque utinam & horum qui nunc evolant, præſcindat Alas:

Et doceat medium tenere, licentioſam ac Popularem Auram.

Sed & ni faxit:

Statis inquit Varſevicius temporibus, excitat Principes DEVS Opt. Max. qui mira quadam fælicitate, & facilitate, & incredibili celeritate, hic ejus in Terris potentiam repræſentent. *De Optimo ſtatu.*

Et qui Icaros doceant non evolare, Qui Orbem repurgent Licentia.

Principes autem & Malos & Bonos.

Malos:

Tyrannos nimirum Inſolentiæ humanæ flagella.

Euſebius ille Cæſarienſis Perſecutionem ſub Diocletiano Tyranno exortam, Icarianæ acceptum refert licentiæ.

Libet hic audire loquentem, ſic enim inquit Lib. VIII Hiſtor. cap. I.

Verum cum nos præ nimia quadam licentia, in molliciem delicatam, & diſſolutam ſegnitiem eſſemus prolapſi: Cumque alii aliis invidere, maledictis inſectari, & prope nos ipſi inter nos petulantibus linguis tanquam mutuis armis oppugnare, & caſu aliquando verborum, contumelias velut haſtas, unus in alium intorquere, & Præſides Eccleſiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum ſeditiones concitare occiperent, cumque ficta & adumbrata ſanctitatis ſpecies, quæ oratione nequit exprimi, & ſimulatio fronte occultata, ad immenſam quandam pravitatem ſerpſiſſet, divina ultio inchoata, cæpit in nos animadvertere. Sed ubi veluti ſenſibus orbati, & præſtricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuerimus, ut Divinum Numen in nos incenſum, benevolum & placatum efficeremus, ſed tanquam impii, noſtras res à DEO nec curari, nec animadverti arbitrati, alia vitia

aliis acervatim adjecerimus, & Paſtores noſtri depulſa, repudiataque pietatis regula, diſſidio & contentione inter ſe exarſerint; quinetiam nullas alias res, præterquam diſcordias, minas, æmulationem, inimicitias & odium inter ipſos mutuo adaugere ſtuduerint, & animis ambitionis æſtu incenſis Tyrannorum more Principatum obtinere laborarint. Tunc demum juxta illum Hieremiæ ſententiam.

Obſcuravit in ira ſua Dominus filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Iſrael; non recordatus eſt ſcabelli pedum ejus, in die iræ ſuæ; ſed demerſit Dominus omnem decorem Iſrael, & de mollitus eſt omnes ſepes ejus.

Habes cauſas perſecutionis: Effectus audi ab eodem.

Lib. eodem, Cap.2.

Iſta omnia mala inquit, erant noſtris expleta temporibus, quando Sacras ædes precibus dicatas, è ſublimi in ſolum, fundamentis ipſis conquaſſatis, dejectas. Divinas & Sacras Scripturas, medio foro in rogum impoſitas; Eccleſiarum Paſtores, hos in latebras, hic illic ſe cum ignominia abdentes, illos non ſine dedecore prehenſos, & hoſtibus ludibrio expoſitos, oculis noſtris aſpeximus.

Sed ut clarius tibi liqueat, luce meridiana; Divinæ Potentiæ per Principem Tyrannum repræſentatio.

Nemeſeos cum Licentia certamen legenti proponam.

Videcis ſat abundè

Regna de gente in gentem propter licentiam transferri & everti:

Cujus rei exemplum pluſquam horrendum.

Conſtantinopolis erat.

Hanc funeſti & Icariani exitus admonuerat DEVS.

Solet enim Divina providentia, admonitione prævia ſceleri mederi.

Rem accipe

Ex Auguſtino, Proſpero, & Paulo Diacono.

Rerum

Rerum eo tempore, totius Imperii ſumma penes duos Imperatores fuerat

Arcadium nimirum & Honorium.

A quorum inaugurata Sceptris Fortuna, annus ſecundus agebatur;

Qui fuerat à partu Virginis 396.

Cum ecce populus potens licentia, evocabat nubibus iratis, ignes & fulmina.

Plenis velis ferebatur Conſtantinopolitanorum improbitas, & perverſitas.

Plena omnia fuerant fuco, plena fraudibus, plena fallaciis.

Vis & audaciſſima libido, Iura dabat licentioſiſſimæ Vrbium Civitati,

Cui etiam in ipſos ſacros apices jam libebat.

Sed non permittit diu DEVS, ſublimi ſtare loco Licentiam;

Quam, quia Sceptra Imperantium coërcere non poterant.

Ipſe totis viribus, aut ignis, aut peſtis duxit expiandum.

Erat tunc quidam in Vrbe ſcelerata Miles, cujus nomen in commune nefas non ierat.

Hunc Cœlum cladis Conſtantinopolitanæ fecit certiorem,

Occultiſque notionibus mentem illius DEVS informavit.

Vrbis illam licentiam, peſti aut flammæ in prædam ceſſuram,

Fecit participem cœleſtis conſilii Pontificem Vrbis Miles.

Inſpicit ille rem, & credit.

Infeſtaſque ac proximas Numinis iras, populo licentioſo denunciat.

Solvitur tota Civitas in luctum & pœnitet ſceleris.

Certatur lachrimis, & omnium mentes litantur Metanoëæ,

Nimirum majus quiddam eſt humanis Animis Timor.

Qui etiam Primus in Orbe Deos fecit ——— *Petronius Arbiter.*

Vbi advenit Decretorius ille dies, quo furor Divinæ ultionis, ignes cœlo effundere deſtinaverat, expectabat triſtis Victima Civitas nimirum quam meruerat pœnam.

Et inter Spem & Metum pendula, feriendam Numini præbebat Cervicem.

Nunquam enim mansuescit magis scelus, quam cum instat qui plectat.

In serum expectatio protracta, plerique ludum putabant.

Cum ecce tibi, flammas triste spirans Nubes, ab Oriente in Occidente Vrbis Cineribus, trophæa Divinæ ultioni erectura.

Quæ ipso progressu major, ubi Vrbi flammas desuper admovit; Stetit.

Vix templum fugientium & recipientium se intus, multitudinem capere poterat.

Quorum jam una vox, lachrymæ erant, & in summa trepidatione, subjectus vi timoris, Dolor.

Sed sat erat Divinæ Majestati contumaces & licentiosos Spiritus fregisse, tantisper & prostrasse:

Quare nubem ultricem sensim ab oculis amovit.

In altiorem tamen demissionem voluit ire Animos Constantinopolitanos.

Edixit enim Proxima diē Sabbatorum Civitatem Byzantinorum sua ruina documento Posteritati futuram.

Quam exosa superis esset Licentia.

Concussæ ea re omnium mentes, quare à Cæsare, ad infimum quemque desertis & patefactis ædibus campos petiēre; à longo interitum suarummet ædium spectaturi.

Quid fit? Erumpit copiosus Vrbe tota Fumus, & omnia involvit atra caligine, ipsamque Civitatem Civium oculis eripit.

Fit clamor, innovantur lachrymæ, ante alios ipse Cæsar Arcadius opem implorat summam, spe qua potest majori.

Nec fallitur: Vbi enim sub Divinæ Majestatis clementiam, vota sua abjecēre Animi, invenēre præsidium.

Sibi, Civitati, Patriæ.

Monitorem hoc exemplo DEVS egit; proximis qui sequuntur annis scilicet 1057 Vindicem.

Libet

Libet rem inchoare verbis Varſevicii noſtri, ſic enim ille in Parallelis.

Advenerat expiandi ſceleris tempus, & futuri interritus, ac levitatis comes, & Animi quidam tumor ac obſtinatio Græcorum ingenia occupaverat, cum nobile illud Orientis Conſtantinopoleos Imperium à Conſtantino olim Magno conditum, ſub Conſtantino altero ejuſdem nominis Principe, ad feras & barbaras gentes, impiæque Machometanæ ſectæ cultores, eſt tranſlatum.

Tot ſæculis Vindicias ab admonitione diſtulit DEVS, ſerus ſed efficax ultor licentiæ.

Tardior namque ad ultionem eſt DEVS Opt. Max. nec prior apud eum pœna quam culpa fuerit, nec punit quod non potuerint, ſed quod noluerunt ipſi parere delinquentes. *Varſevicius.*

Tribus Annis ante, NICOLAVS V. Summus rerum Chriſtianarum Arbiter,

Litteris fatidicis admonuerat Græcos, & Imperatorem Officii & licentiæ pluſquam Icarianæ:

Iam enim nec ab ipſis ſacris Tiaris abſtinebant, licentioſos calamos, & ora, Conſtantinopolitani.

Lubet adjicere verba, ex Epiſtola ejus ad Conſtantinum, Vltimum gloriæ Conſtantinopoleos hæredem.

Ita enim ait:

Omnes Gentes & Nationes, quod piè ſemel ſancitum eſt, receperunt, ac obſervarunt ſemper; Vni illi ſunt & fuerunt Græci, qui & Eccleſiæ & ſibi ipſis perpetuo adverſantur: Sed errant ſi Eccleſiam Romanam errare, & ipſum Pontificem delirare arbitrantur. Fert Eccleſia diu quam plurima patienter, in ſummum illum Sacerdotem, defixos habens oculos, qui ſterilem illam ficum uſque ad Annum tertium ſervari juſſit: Et cum nullum ederet fructum, Agricolæ tandem exſcindendam permiſit.

Grandi Vate ipſo nimirum Vicario Chriſti, ruina Conſtantinopolitana ſtetit,

Ab hinc triennio, ficum ſuccidit Princeps Agricola Turca,

Divinam in terris potentiam, ſtato tandem tempore repreſentans:

Auxit Pontificium Oraculum Legati Pontificii vox, ipſo excidio proximior.

Hic enim, vel ipſo Genadio Patriarcha Conſtantinopolitano atteſtànte, divinis effatis viam præivit.

Agebat is cum Barlaamo, acerrimo Auctoritatis Pontificiæ hoſte, de nimia Græcorum licentia, in ſumenda ponendaque Divina pro libitu Religione.

Ter decies enim ab Eccleſia Latina defeciſſe, jam inde ab incunabulis recepta, ab Apoſtolis Fide, uſque ad excidium memorantur.

Inter igitur rationum concertationem, dum vidiſſet Legatus rem agi pertinaciter Adjecit.

Pontifex Maximus Dei in Terris Vicarius, admonet vos, ejus cujus obliti eſtis fidei, veſtræque firmitatis, ſi eum audieritis, bona terræ comedetis, ſin ſecus, à Turca breviter exterminabimini

Dixerat. Et pedibus decutiens pulverem Conſtantinopoli abiit.

Diſcant hîc obiter Sceptra & Purpuræ, diſcat licentioſa Hæreſis, quo contemptu Apoſtolicæ Sedis, abeant Imperia.

Sed libeat jam in Theatrum producere ipſam Tragœdiam, idque ut ajunt ab Ovo.

Prologum egit Fratrum diſcordia, minimè Avis rara in Terris.

Vbi præſertim de Sceptris agitur, & Corona.

Diſces hinc ſæpius fieri, ut dum uterque Frater Purpuram ambit, uterque perdat.

Teſtatum fecêre olim, Thebæ, in Etheocle & Polynice.

Ne autem vetera proferamus.

Con-

Constantini ambitione & Demetrii sub acinacem Turcicum iisse Byzantium.

Ambitiosiorem tamen hic judicem Constantinum, Demetrius enim ultro Sceptris cessit, Obex ne regnaret Mater, & Populus Constantino faventior.

Malum! ingerens se Regnis Fœmina, & Populi temeritas.

An quia Illam sæpe Euripus in deteriora rapit, & sæpe totam in unum Filium?

Populus autem instabilis, Affectus ponit aut sumit ad libellam temporis; Iudicii expers: Inclinat qua plures: Natura invidus Suspicax, Credulus, Res auget: Nescit comprimi: Turbidus: Favet fervidis: Verbis ferox: metu aut spe nimius.

Addo tabellæ Lipsianæ, elogium populi unicum, quo hæc claudam Icarianus.

Cessit ergo Demetrius vel invitus Ea lege & conditione, ut Peloponesum inter se, æqua partitione sortirentur.

Itane Demetri, è tota purpura vix fimbriam, & è toto Sceptro vix delibas partem?

Male Imperium partitur Successio, hinc lites & jurgia.

Multum relictum videbatur Demetrio, ergo & ipsa Peloponeso exuendus fuerat.

A quo? à Fratre: per quem? Per Fratrem.

Quo Fine?

Vt is qui ultro cessit sceptris, ea conditione ut haberet aliquid, habeat nihil.

Finem damno, & in fine fidem Constantini, quæ servanda etiam Hosti. Sanctissimum enim humani pectoris Bonum est. *Seneca.*

Damno & medium consequendi Finis.

Quod Frater, per Fratrem, exuat Dominio Fratrem.

Fratri nomen Thomas.

Quo sceleſtæ suæ ambitioni Constantinus usus fuerat instrumento.

Quid non moliris inter altè positos malesana Ambitio?

Ergo impius Thomas, solicitat fidem Peloponesi, primo tacitè, dein & apertè.

Hinc aperta odia & Factiones: scinduntur studia Fratrum.

Hic Constantini agit viribus; ille Machometi Turcæ.

Quem suis viribus quæsierat Patronum: & ultro in præsidium evocatum, Advocatum.

Familiaris Imperiis Error: Dum in factionibus salutem, dum spem in præsidio Potentioris quærunt, & id quod habent perdere.

Quid fit?

Iuvat Turca, fidem jurat, & violat, & Ambos Fratres exuit:

Iure, Sceptris, Peloponeso.

I nunc, Et in Turcica fide quære præsidium.

Miror hic cæcam mortalium Licentiam, quæ alieno periculo non sapit.

Id non vidit Hungaria,

Quæ dum Turcæ fidit, inter Factiones periit.

Tibi DEVS prælusit aliorum Fatis, Polonia: quæ ni factionibus intereas æternam puto.

Quicquid sit, ab Icaris tibi metuo, quibus jam jam aptantur alæ, nescio quo exitu volaturis.

Sed quo me calame? & sancta in Patriam pietas? Qui legit intelligat: Redeo ad fraternam Discordiam è qua illud traho Documentum.

Disco hinc quos gradus teneant interna dissidia.

Stare nesciunt, & ubi furere inceperint, etiam id volunt perdere, quod paulo ante salvum cupiebant.

Proximior interim & spe & loco factus Constantinopoli Machometes: Altiorum cogitationum pollicitatione animatus, cogitare cœpit, Constantini fastigium.

Solicitabat ultro mentem Tyranni Divina ultio, & ad flagellandum Populum licentiosum, funesta clade evocabat.

Fœdus

Fœdus tamen obſtare videbatur, & Fides qua obnoxius Orientis Imperio reddebatur.

Sed quid ipſa Iura Gentium niſi Arancarum telæ?
Vbi menti Iura proponit, Spes Regni & Ambitio?

Fit enim: Vt ii quos hoc dulce venenum deperit,
Omnia recta & honeſta negligant, dummodo Potentiam conſequantur. *Cicero.*

Nec Machometes perperam putabat itura Conſilia,
Quibus Civiles Animorum diſſenſiones, Victoriam non dubiam pollicebantur, Invaſurus ergo Græciam, Lincopiam juxta Propontidem in Boſphoro ædificare cæpit.

Malum Imperiis omen, Novæ Arces in finibus Regnorum erectæ.

Semper enim ſapiunt vicinioris ruinam, dum habet Hoſtis quo ſe ab excurſionibus recipiat, habet ubi Vim ſuſtineat.

Patuit mox ubi collimaret Lincopiana munitio.

Perfecto enim opere, impetum in Vrbes viciniores fecit Machometes: Sed fracto inter prima initia ſortis impetu, renovandum ratus, exacerbatus magis animo, quod cæperat conſilium aggreditur.

Sæpe enim ipſa deſperatio gradus fit fortioris Spei, Et quod vix putas te poſſe, tenebis.

Ergo quo rem majori & apparatu & terrore & Vi ageret fortunam bellicam, artibus & machinis polemicis inſtruxit, ingentia Tormenta conflavit, Claſſem ducentarum & trium Triremium, evocatis toto Orbe artificibus conſtruxit.

Paratum & inſtructam Milite, comeatu, æreis machinis Vrbi admovit Præmiſſo Europæ Duce, qui omnem oram Conſtantinopolitanam, igni ferroque devaſtarent.

Spectent ſæcula, DEVS enim hic pugnat.

Admotus jam Tyrannus mænibus: Videamus quanam ratione potentiam Divinam repræſentet.

Instructam se putabat Constantinopolis, non tam ipsis muris quam cathenis, quibus in mari aditum triremibus prohibitura videbatur.

Sed risit Divina potentia vermiculorum conatus.

Vbi vi res agi cæpta, fracti ingenti boatu tormentorum Constantinopolitanorum animi, à spe dejecti videbantur. Nunquam enim tam magna fulmina terrestria viderat Græcia.

Duæ inter cæteras harum machinarum, Portæ scilicet Romanæ, & Cæsariani Palatii erant fulminatrices.

Ad quarum singulas complosiones, plena omnia lachrymis & ruina Constantinopoli.

Ademerat enim, urgens pœnâ scelestos Animos DEVS, infractam in periculis constantiam & magnanimitatem.

Additi viminei plutei, quorum beneficio, diurna nocturnaque incursione Civium animos Turcæ frangebant, quin & cuniculis pulvereque nitrato magna pars ædium dejecta.

Extruxerat Machometes & quatuor Turres, terriculamenta exeuntium hominum & jumentorum: Sed ne ex omni parte careret urbs periculo, metu, hostibus, vi trepidatione, requie.

Mari terraque oppugnandum duxit.

Cui propositio ipsorummet Græcorum naves aptas ratus, septuaginta ex iis summa celeritate & fælicitate per montem transportavit hostibus spectantibus & resistere non valentibus,

Movit ea res animos Byzantinorum, quare Navibus imponunt Græcam militiam, & conatibus obstant, ut possunt. Sed ubi tormentis agi cæptum, & eorum impetu Naves fractæ; Militum omnis vis, aquis exposita, & ad natandum conversa, plurimis ex iis capitis, ad portas Vrbis, tanquam futuræ Victoriæ prænuntiis victimis, in oculis Civitatis litavit Machometes.

Certatum ea crudelitate & ab obsessis, Sed captivorum Tur-

carum

carum interitu, animus Machometis in rabiem majorem inardeſcebat.

Non abs re hic noſter Varſevicius. Quod ſemper in Tyrannide pejor obſeſſi quam obſidentis conditio.

Et tutior periculi, obſidens Cæſarem gregarius Turcicus miles, quam fuerit obſeſſus ipſe Conſtantinopolitanus Cæſar.

Quis non intremiſcat hic ad tuum Conſilium,

ô Numen!

Neque enim hæc expugnatio creato ingenio mihi ſtetiſſe videtur.

Iam enim & Gygantea illa Græcorum inſolentia detumuerat, vires fractæ & artes, abjecta conſilia, & ſponte ruentibus omnibus, omnia ruere cæpta, triumphante interim, inter deſperationem animorum, alacritate Turcica.

Non male te mihi iterum admiſces Varſevici, loquere, loqueris enim & Tempori. Audio

Quos DEVS Opt. Max. punire debet, iis Viros ſimul & Vires eripit, & omnia è manibus effluunt perituris.

Quadrageſimus dies ab obſidione agebatur: Et ſacratiſſimi Pneumatis inſtabat Feſtum, quod Pentacoſten nuncupant Chriſtiani. In quod Numen impiis blaſphemiis toties Conſtantinopolis detonuerat. Abſque dubio, ſui Feſti die, vindicias tam atrocis licentiæ intra muros Byzantinos illaturum

Ita factum, Sed anteceſcere quædam.

Maximi Tormenti Conſtantinopolitani, inter ictum, in partes confractio non ſine ſuſpitione corruptæ in Tormentario Fidei.

Sed inter extremam ſpem affulgere videbatur cælitus præſidium è duplici Navi Genuenſi & Græca, commeatum inferentibus.

Fruſtra vel ipſo Machomete, ne portu exciperentur, obſiſtente.

Inter hæc tamen mittit Filium Obſidens.

Et promiſſa miſericordia & clementia, Vrbis ſpem pertentat & defenſorum.

Tentatum id fruſtra, invitis & callum in proprio periculo Animos obducentibus Græcis.

Miſſi viciſſim ab iiſdem Legati, tenuioris Fortunæ, qui conſtantiam inter adverſæ ſortis fulmina denuntiarent.

Hos aſpectu indignatos Machometes, reſponſo dignatus vix per Purpuratos: Cujus ea ſententia: Viderent & providerent periculo, à quo & cui impenderet.

Inter victum & Victorem nullam eſſe mediam Fortunam, ſed utrinque extremam. Victo Iura dari Gladium. Victoriam ſibi certam DEVM polliceri.

Si ſalvos ſe vellent & ſua,

Centena aureorum millia. Victori quotannis numerarent: Sin minus Vrbe excederent, & res quo vellent exportarent Reditum; & itum in deliberationem.

Plena omnia luctu: Non defuêre, qui Aurum ad Cæſaris Conſtantini pedes abjicerent; Vt Vrbem quam verè Magnus Conſtantinus magnam & illuſtrem reddiderat, ut aras, vitam & Fortunas ſuas ſalvaret.

Sed nec toto Auro defenditur Salus, cui in tempore non providiſti, & quam deſerit provocatus ſcelere DEVS.

Omnium tamen vota euntin defenſionem, & advocantur recentes Vires ad tutelam Sui Patriæ.

Incendit ea Animorum erectio Machometem ut extremæ aleam ſortis pertentaret.

Ergo nec ipſe ſegnior in acuendis ſuorum animis, ut avitæ virtutis Majorum in clade Vrbis revocarent exempla:

Additur nocti, qua pernicies extrema imminebat, ſua per tota Caſtra Turcica lux: & feſtivi quaſi jam Vrbe capta, triumphi.

Huc jam te ad extremum volo, quiſquis in Factiones ſcindis Pa-

dis Patriam, quisquis licere tibi putas omnia.

Specta; qua Considerata sæcula pavebunt Catastrophen.

Aderant Calendæ Iuniæ.

Et ultro cum suo festo S. Spiritus, Icarianis alis ignem immissurus, quibus extremum æstuarent & liquescerent.

Ergo acri utrinque ardore, pro extrema alea concurritur.

Hinc tuetur Vrbem Genuensis quidam, nec initio male:

Illinc oppugnat summa vi Machometes.

Sed quo vires? in DEVM? cedite, cedite.

En unus globus, percusso Genuensi fugat vestram Animositatem.

Frustra hortaris & tu pedes fugientes Cæsar:

Primus enim scelera Vrbis debes expiare.

Ita factum; Dum ultro armis se ingerit cadit Cæsar:

Hoc uno facto laudandus, quod gnavius rem, extrema Imperii gessit Catastrophe.

Sed ecce jam tenetur Vrbs, ruunt illa Sceptra, & in cineribus & sanguine Civium pœnas dat Licentia.

Sic pereunt Regna, quæ in ipsum Numen, ora solvunt & Manus.

Huc mihi aliquem Hieremiam qui dicat.

Quomodo sedet sola Civitas plena populo, facta est quasi Vidua Domina Gentium, Princeps Provinciarum, facta est sub tributo.

Sed plus ego tibi quam copiosè, quomodo per Tyrannos, suam DEVS in terris repræsentet potentiam, & per malos Principes.

Nunc audi quomodo per Principem Bonum.

Duo tibi hîc temperatæ licentiæ Exempla, duplicem Viam temperandæ.

Vnam, Armis à Principe eoque Christiano:

Alteram, Prudentia à Gracho nostro verè Principe.

Venio ad prius exemplum.

Exci-

Excitavit DEVS in Regno Germano Rudolphum Cæſarem Comitem Habſpurgenſem, ut ejus in licentia Germanica edomanda repræſentaret potentiam.

Erant ibi plena omnia Icaris, longum enim Interregnum ferax Icarorum eſſe ſolet.

Longum illud, quo longius nôn habuit Germana ſucceſſio, ut pote viginti & aliquot annorum.

Electus divinitus Rodolphus qui Inſolentiam ſopiret, cumque quidam ex Icaris muſſitarent, ejuſque auſpitiis obmurmurarent. arrepto in publicis Comitiis ſigno, in quo ſalus, licentiam Orbis expians, pendebat: Sacramento ſe obſtrinxit, non prius requiem gladio quæſiturum, quam omnes perduelles Patriæ exſtirparet.

Vovit & Fecit

Violentior is forſan licentiæ temperandæ modus? Ille qui ſequitur laudabilior, licet rarior.

Optime Imperabis, ſi ad medium reduxeris, quod excedit Legibus, Clementia, Prudentia

Qui ſecus; medium non quærit

Sed aliud extremum: Nimirum Servitutem.

Nec aliter poterat noſter Grachus, Lente enim in illa omnium pene animorum inſolentia, tractanda fuerat Polonia.

Non abs re Livius.

Excellentibus ingeniis, citius defuerit Ars, quâ Civem regant, quam quâ Hoſtem ſuperent.

An quia Nullum animal moroſius homine, ac idem nullum majori arte tractandum?

An quia In regendis Civium animis ſola ſine viribus locum habet Prudentia?

Exemplo ſit Pompejus.

Si artem militarem ſpectes Orbis gloria, Si regimen Civium Vrbis fabula.

Qui

Qui propria cæde docuit Principes.
Quid interſit, inter vincentem Hoſtes, & regentes Cives.
Severitatem quoque in coërcenda licentia probo, imo neceſſariam dico.
Sed vitandus hic nimius rigor, ne odium contrahas.
Nunquam id tutum, ſed maximè dum Imperare incipis.
Qualem enim te illis initiis viderint, Talem æſtimabunt:
Naturam Populi prius pondera, Et an poſſis Clementiâ id, quod ſeveritate attentas efficere.
Maxima virtus tua Princeps, ubi te cognoveris, Noſſe Tuos.
Claudo
Patrem gere: Nec ſervos puta quos regis, ſed Filios
Spondeo: Amabunt:
Sed nos ſat de Licentia Nunc ſit.

CAPUT VIII.

Quomodo ſublato alio extremo nimirum Servitute Grachus Rempublicam reduxerit, ad auream Libertatis mediocritatem.

AVſpicor ab Herbulto Ita enim ille.
Lechia noſtra inclyta, Divum domus, Diæ Libertatis Templum, ſemper Libertatem & literas ſecuta, non tamen aſſecuta.
Vtrumque ita eſſe Kadlubkonius noſter teſtatum facit,
De literis in ſeipſo, & in ſuo ſtylo.
Si enim ſtylum ſpectes, illius temporibus, nondum plenis volis, & velis Lechiam literas videbis aſſecutam.
Sed id vitium, ut verbis Fælicis loquar, Kadlubkonis non eſt: Ætatis eſt.
Nec male Herbultus.
Pone tibi præ oculis omnes, omnium Gentium circa Annum

Christi Millesimum Scriptores; Statues nostrum Vincentium Kadlubkonem inter illos Tullium fuisse.

De Libertate: ita idem Kadlubkus, in Gracho nostro.

Ante hunc, Grachum intellige: Servituti ancillari videbatur Libertas, Non semper igitur Libertatem Polonia assecuta, licet fuisset semper secuta: si rectè ineas & perpendas.

Aristocratia illa liberè: licet non à toto stetit.

Et tamen & tunc in illa Libertate, nihil minus, quam Libertatem dicitur à Vincentio Polonia assecuta.

Erant & sub Lecho jacta quædam fundamenta Libertatis, secuta tamen & tunc potius Polonia Libertatem, non assecuta:

Quia inter initia nil repente perfectum; & in ipso tempore, quicquid perfectum est, ematurescit, Et ubi maturuerit, sensim à perfectione declinat.

Ea enim lege cuncta in Orbe maturescunt, ut licet perfectionem, non tamen perpetuitatem, assecuta esse videantur.

Segetes intuere & Arborum fructus: nequaquam hac repente Sol decoquit, Sed sensim quasi mitescunt; & perveniunt ad maturam frugem. Ita & Romanam Libertatem videbis sensim absolutam.

Quis tamen neget Romanos Libertatem semper secutos, etiam sub Regibus, jam & ab ipso Romulo, non tamen eam assecutos?

Quamvis Maturum jam illud, Aureum Romanæ Libertatis pomum, quid nisi Fortunæ jocus? & ludus? & pila?

Spontene te dicam Roma, an invitè cecidisse? Præreptumne id arbore pomum? An Fatis & suo jam pondere & maturitate ruens Tyrannorum demum Cibus?

Quibus nil gratius, quam aliena frui ac vesci Libertate. Non igitur temere dicam Romanos secutos Libertatem, non assecutos:

Dum

Dum enim jam frui fructu Aureo deberent; Vno duobus gustum præripiente, ad tres ventum de libertate digladiatores. Et nonnisi fortissimo illud pomum cessit.

Qui tamen inter ipsa Fortunæ suæ prægustamenta, triginta duobus vindiciis foratus.

Docuit nos Eorum qui alienæ libertati inhiant, interstringi Fatis gulam, ne totam glutiant Libertatem.

Semper ergo Roma libertatem secuta non tamen assecuta.

Potuisset assequi.

Si ut inquit Primus Romanæ Patriæ, & facundiæ Parens Fuisset in iis, Fides in quibus summa esse debebat. Vide Tullii tempora, vel in eo ipso ita esse videbis.

Sed quid ego calamum foris occupo? Domum redeo:

Ad Grachum nostrum.

Ante quem, ut inquit Kadlubek, Libertas ancillabatur Servituti;

Laborandum ergo fuerat, & hic nostro Gracho:

Ne quicquam se Sceptro admisceret Tyrannidis; & ne serviret Polonia; Omnem ergo sustulit prorsus Servitutem: Et quem promiserat in Comitiis Patrem, Fecit.

Sed & Regem non Tyrannum.

Sed quæres tu: Quis mihi Tyrannus?

Non ego hic cum Antiquitate: Sed nomini inhæreo.

Cui inter ora Prudentum locum fecit Regiæ Dominationis abusus.

Legitimus olim Princeps Abavæ Vetustati Tyrannus dicebatur. Mihi meoque sæculo, perosa vox Tyranni, sed mage voce ipsa Imperium.

Imo & jam vetustiores illæ Nubes Aristophanis recentioribus cessere. In quibus ille Iovem Tyrannum Deorum dicit & docet.

Nunc in te ô meum Numen, non sum adeo impius, ut Tyrannum dicam nostri sæculi sensu, liberè enim regis, quos liberos voluisti,

Et cum in alia nostra habeas Dominium absolutum; Iura tamen das libero nostro Arbitrio, quæ nonnisi liberè sequamur, & quibus non inviti adhæreamus.

Abusum ergo & vim optimo quondam Nomini, pessima Tyrannorum licentia fecit, dum servire cogit, queîs debuerat liberè Imperare.

Quis igitur nostro ævo Tyrannus? seu potius Quid ipsa Tyrannis?

Accipe definio.

Est unius violentum Imperium, præter mores, leges, & naturam eorum quibus Imperatur.

Vnius dicitur.

Id enim commune habet Rex & Tyrannus quod utriusque sit unius Imperium:

Sed imperanti Tyranno adjungitur Comes sævitia.

Regi mansuetudo.

Illi Superbia, Huic Modestia:
Illi Crudelitas, Huic Clementia:
Illi Infidelitas, Huic Fides:
Illi Odium, Huic Amor Civium:
Illi ut uno verbo claudam omnia Violenta, huic nostro Ius & Fas & quicquid Cælum suæ Pandoræ dedit.

His itaque dotibus Libertatis Rex differt à Tyranno, & quod illius sit secundum Naturam, hujus contra naturam Imperium.

Brevius: Violentum.

An quia Vim liberis mentibus stricto infert gladio?
An quia Armis tueri nititur fractam publicis odiis authoritatem?
An quia Ius illi in armis, & Leges famulari vult Timori?
Tacitus. An quia Aufert, trucidat, rapit omnia, & ubi solitudinem fecerit pacem putat?

Nihil violentum in Gracho,

 Cui,

Cui, uti displicuit in coërcenda licentia modus libertatis, quem spirat optimus quisque Princeps: Ita displicuit sine modo Dominatio, & major Regno Tumor & Fastus, quo turget pessimus quisque Princeps.

Exemplum tu forsan à me violenti Imperii.

Pono Helvetiorum non Iudices, sed Tyrannos.

Quæ res sic habet.

Iam Romanæ factus purpuræ, nobis quam Romulo vicinior detumuerat, cum datum crescere & assurgere Suitianæ libertati.

Quæ iniquiori Iudicum jugo pressa, de periodo Vindiciarum angebatur.

Hos dedêre Suitiis Germani Imperatores, ut non tam essent Publicæ rei Administratores, quam Iuris Arbitri.

Sed sensim effectum, ut quos Libertatis custodes Helvetii optaverant, insignes Occatores, & Paranymphos experirentur.

Nunquam enim certis cancellis teneri potest, liberior ipsa libertate cupiditas, & Imperantium ambitio: Sed hydropicæ siti compar, sensim Novercam Libertati spirat, quæ cæperat Matrem.

Degeneravit ergo pedetentim Iudicium in Imperium, Et abiêre in servos liberi Suitii, Imperio dissimulante.

Sed nunquam constanter servivit Libertas.

Vbi enim id cognovêre Helvetii, insuetis vestigiis retrahunt pedes: Et partim exilio, partim nece, mulctant temerariorum Præfectorum licentiam.

Non tam rati usum, quam abusum licentiosi Imperii vindicandum.

Occasionem primam Vindiciarum dedit, Indervaldiorum seu Sylvanorum Iudex.

Huic; In viribus cujusdam robustissimi Iuvenis libuit experiri;

Qua fronte Libertas bovinum jugum ferret.

Iungi ergo Aratro jusserat, non degenerem Adolescentis à libertate animum,

Vt servili Scæna oculos satiaret.

Sed illo Imperio major, & omni vi, solam fugam tanto dedecori, medicinam ratus, supercilium Tyranni victor evasit.

Non tamen misero Patri, ea fuga Iuvenis, salubris fuit: Nam ut fugam Filii expiaret, Oculos quibus eum manus Carnificis viduavit; hostias projecit Iudiciariæ crudelitati.

Inultum id facinus: Oculos enim effoderat, Timor Vltioni;

Sed non illud quod jam narrabo.

In audiendo disces: Gradus esse sceleri, Et à prima pœna scelerum, pendere incrementa.

Apud eosdem Inderualdios erat alter Iudex, nefas in omne plusquam pronus. Hic nescius An tantum etiam in alieni thalami pudorem sibi liceret, & quid posset etiam absente Marito veneranda Fides: absentiam Mariti in audaciam convertens, pertentat Conjugis solitariæ frontem: Et tuta quærens desiderio præsidia, balneum ut paret petit, ipsa socia lotionis futuræ.

Nescius falli Amor & fallere.

Promittit sudatoriam Cellam Præfecto fœmina, sed qua sudet, & Vitam & sanguinem.

Exuit igitur ad tempus frontem Malens videri scelesta, quam esse.

In longius tamen crastinum rem differt, quam speraverat petitor.

Inter procrastinatricem Consilii pudicitiam, ac æstuantem cupiditate animum, gratias mille adhibet, importuni desiderii contemperatrices;

Quibus delinitus ille, spem protrahit adventu Mariti morte sopiendam.

Qui

Qui ubi reversus explicat temeritatem Iudicis Conjunx,

Et simulandam absentiam eatenus docet, dum in tepidario discant Iudices, qui melius colant Æquitatem.

Rumpit igitur moras, & paratis aquis, Præfectum adit, excipit, & fovet;

Dum ecce prorumpit è latebris Maritus, armatus securi manus.

Age inquit Iudex.

Instruam & ego caldarium, Conjugis juvabo officium, Venas aperiam hac securi, quibus adapertis, in proprii sanguinis balneo reatum expies pudicitiæ attentatæ.

Hæc dicens.

Iudicis frustra hominum & Deorum opem implorantis caput securi præcidit: Securi, inquam, mercatus Conjugis pudori securitatem.

Præludia hæc fuêre Generalium vindiciarum: Sed jam & has refero.

Vriis & Suitiis Iudex alius quispiam Ius dixit, pessimorum pessimus.

Hic ignarus, quo fræno frangenda foret, propria petulantia. (Dignum caput tribus Plautianis jugeribus Hellebori) Pileum quo utebatur palo impositum fixit.

Edicens plusquam stolidè.

Vt quicunque pileum præterirent, adorarent.

Adeo insaniunt ubi cæperint impotentium sui hominum mores, honores, & humores.

Qui tum demum se sapere putant, cum procacissimis ingeniis in aliorum detrimentum quam maximè abutuntur.

Et tum se culmen Fortunæ luxuriantis attigisse existimant, cum in vultu Orbis tale aliquid commentantur, quod alieni honoris jactura, ipsorum gloriæ faciat incrementum.

Ita & hic insipidus Iudex, qui etiam

Dum

Dum honoris quærit augmentum, & ſe & Socios miſerabili involuit ruina.

Erat inter Suitios & Vrios Guilhelmus Tellus.

Qui ſolus iniquitati temporum Conſtantiâ ſua attulit medelam.

Æſculapius factus oppreſſæ Libertatis.

Hic primus, altricem Tyrannicæ dementiæ reverentiam pileo negavit.

Qui (licet eſſet liberioris mentis Symbolum)

Tamen ſuperciliofo edicto Tyranni, in ſtemma fuerat immutatus Tyrannidis.

Soluſque multitudinis ignavia ſuperior, famæ abnepoti generoſum nomen conſecravit.

Indoluerat contemptæ ſuæ impudentiæ Capitaneus, & plenis buccis in Tellum detonat.

Quod contempto ſupremæ Majeſtatis faſtigio, ſigno propoſito honorem denegaſſet, & ſolus infringeret Imperantis auctoritatem, temerario vel contemptu ductus vel ſupina negligentia.

Nec id ſatis: Advocatur ut parentis generoſitatem luat tenellus Filius.

Et ut ſanguine pueri eat ultum crimen.

Pro ſcopo deſtinatur ipſa (ni Fata obſtent) paterna manu feriendus.

Superimponitur capiti pomum, Vt habeat Guilhelmus metam in qua exerceat Amorem.

Concuſſit ea res Patris animum, & lentior facta, aliquot dierum cunctatione manus, licet jaculandi peritiſſima.

Adeo in proprio ſanguine lenteſcit Amor.

Vincitur tamen importunitate Iudicis & minis.

Et meta propoſita, duplici armatus telo Tellus in arenam deſcendit.

Spectate ſæcula.

Scopum

Scopum enim cernitis, quo propoſito vel ipſe peritiſſimus jaculandi artifex Vliſſes trepidaſſet.

Hæret dubius Pater quâ ictus fluat:

In autoremne crudelitatis Iudicem? an in id quod propoſuerat Iudex filii capiti ſuperſtans pomum

Verumtamen hortatus & animum, & manum, & Filium

Quid inquit trepidas Fili?

Immotis oculis telum & Fatum excipe, quo ſi ſuperior evaſeris, Autori Vitæ & arti meæ, vitam debe: Sin minus? En altera ſagitta, non inultus neque incomitatus abibis.

Dixit & illæſo filio pomum ferit.

Spectante Iudice, & tacitè infrendente ſagittæ & Arti quod à pomo in Filium Telli non aberraſſet.

Sperabat impius Iudex quod incertæ aleæ Parens ſecundum telum eſſet commiſſurus, ideoque ad Guilhelmum conversus.

Hoc telum alterum inquit, Telle cui alteri deſtinaveras?

Tibi reſpondit Guilhelmus, tuoque cordi conſecraſſem, ſi Filius mea cecidiſſet manu: Et in te non infæliciter ut ſpero, ars luſiſſet, nec ludenti illuſiſſet.

Movit vox illa Guilhelmi furorem Iudici, & bilem: Ergo inquit experiar, pluſne carcer, an libera iſta tua vox poſſit?

Navi igitur imponi Tellum, & in Carcerem abduci juſſit.

Sed ille viarum gnarus, deluſis Cuſtodibus, fuga ſalutem, & ſibi, & toti Patriæ invenit.

Nec ſegnior factus, in concitandis animis popularium, brevi tantum effecit Facundia, ut ſervile jugum excuterent, partim ejectis, partim occiſis præfectis & Iudicibus univerſis.

Qui non inſalubri documento fuêre Capitaneis
& Tyrannis.

Sæpius è ferrea Tyrannide, auream naſci Libertatem.

Actum id apud Vrios & Suitios.

Anno
A vindicata Christiana Libertate, per partum Virgineum
1 3 0 7.

Tu Lector Disce hic Primo: Naturam violenti Imperii.
Disce Secundo: Quis exitus Tyrannorum.
Disce Tertio: Nullum violentem esse diuturnum.
Disce quarto, Sæpe Optimorum Principum sceptra, propter Præfectorum & Iudicum licentiam & tyrannidem, extrema laborare Invidia.
Disce quinto, Quomodo & hic Libertas ancillabatur Servituti, & quomodo tandem è violento Imperio pullulavit.
Hanc nobis sine vi Grachus & ultro.
Facilis imitatio Principibus: Omnis vis absit Sceptris } regnabunt.
Omne Ius adsit Sceptris }
Sed & nihil velim in sceptro, præter mores eorum in quos est Imperium?
Id maxime cavit Grachus.
An quia Magni semper morum mutatio Imperiis stetit?
An quia Nihil difficilius, quam libera ingenia in servilia transmutare?
Raro eo titulo felix Metamorphosis, & sæpè mutantis in precium sanguis abiit Libertati.
Romam & Athenas consule, & quos proxime retuli Helvetios.
Ita esse cognosces: Quid ergo?
Moribus ejus populi vivendum censeo Principi quem regit.
Nec non eo fine probo & improbo Alexandri Persicam devictis Persis vestem.
Tales Principes placent Polonis, qui mores Patrios amant.
Et ideo in ore adhuc omnium Stephanus
Laudatur eo titulo Amphilochus & salutatur in Pluto.
Polypi ingenio nate Amphiloche Heros
Vt temet populo quemcunque accesseris aptas?

Næ tamen in malis moribus Principem Polypum volo.
Sed ut bonos conſervet, ex malis autem bonas Leges ſanciat
Conficitur enim non inutilis ex hoc veneno Theriaca.
Sed ne & tu puta illum Tyrannum, qui ſubſcribentibus Civibus mores mutat, aſt illum qui invitis:
Tyranni quoque eſt præter Leges imperare, & naturam Gentis: Caverat id Grachus lege, Ne quid Rex in liberas Leges à ſe conſtitutas poſſet:
Nec immerito Amorem enim venatus ſuorum, ac ideo Pater meruit dici non Dominus, Aurea inferens Sceptro Polono ſæcula.
Hic quieſco. Iam enim medium tenens Ver agit Libertas.

Hoc Principe & Legiſlatore.

Non aberravit igitur in prima tanti Principis Electione libera, Polonia.

Vtinam & in Poſteris!

Qualibus vero legibus eandem Libertatem in Republica firmarit: Audi Dlugoſſium.
Quicquid ab illo conditum ſancitumque fuit, id per multas ſucceſſiones, & ætates pro juſtiſſima lege, & perinde ac ſi quodam divino oraculo promulgatum fuiſſet cuſtodiebatur.

Addit rationes ut ſolet.

Cum præter inſitam legibus ab ipſo conditis naturalem Iuſtitiam: etiam Legiſlatoris charitas & exiſtimatio illis ſingularem cultum reverentiam pariter atque metum adjiciebat.
Siſto hic pauliſper more meo; & in hac Arcola Dlugoſſii demeto ſcriptoria falce floſculum.

Principi & Lectori.

Anima Regni, legis: Regis authoritas eſt.
Hac ſi careat Princeps, temnetur.
Hanc ſi habeat Princeps, Regnum ſtabiliet.
Eximium enim quoddam eſt monſtrari digito, & dicier,

Hic eſt: Hic fuerat Rex.

Cæteri fex, nex, grex & ſi quid vilius.

Imprimitur enim quædam de ſingulis Principibus, in animis obtemperantium, quaſi per manus tradita opinio, quam ſive illa vilis & abjecta, ſive eximia fuerit, nulla Princeps exuet ætate.

Si vitam direxit ad Publicum lampada.

Laudabunt, Adorabunt, Vultus auro argentoque cælabunt, coloribus ſimulabunt: Ad nomen ipſum, mentionem, imaginem ſuſpirabunt, Illachrimabunt.

Si in ſe bona publica verterit.

Acuent in ejus vitam calamos, interdum gladios.

Vbi vita cedet, damnabunt, execrabuntur, ad Aras ſupplicabunt Vt averuncent Superi ſceptris ſimilem Principem.

Quod ſi ea non faciunt vobis viventibus ô Principes, ubi è vita ceſſeritis facient.

Nunc forſan non audent, forſan deſperant, vos ex deterioribus fore meliores.

Sed ubi vixeritis. O ſi daretur revocare gradum!

Quæ vobis mens inter aculeos illos, in veſtrum Nomen fixos, foret conſiderate.

Quam optaretis vobis aliam in mentibus hominum vitam, aliudque Nomen.

Sed illa ſera vota: Nnunc ſapite.

Nec odia & contemptum publicum ſpernite, ac in vos armate.

Niſi vos ſoletur illud Regis Magni.

Auguſtus. Regium eſt audire male cum facias bene:

Sed contra monet quiſpiam.

Non fac, non dicent

Quam vere?

Illud infigo pro coronide Principum Menti quod diu noctuque maſticent.

Suum

Suum cuique decus, rependet Posteritas. *Tacitus.*

Nulla corona dignior vertice Principis, Quam serus in longas ætates posteritatis Amor.

Nullum ornamentum Principis fastigio convenientius pulchriusque, est quam illa Corona. Ob Cives servatos *Seneca.*

Armis & legibus Domi Militiæque.

Legibus inquam justissimis, qualibus nostras temperavit noster Legum arbiter.

Ante Grachum enim Æquitas, pedisequari jussa fuerat Injuriæ In Palatinis vidisti. *Kadlubkus.*

Vos apagite istam sanguinariam Dominam. O mei Principes Regno, Legibus, Tribunalibus, Iudiciis.

Nam quale pulcherrimum in cælis simulachrum DEVS Solem atque Lunam infixit, tale in Rebuspublicis ejus exemplum est, atque lumen, Princeps. *Plutarchus.*

Iura Deo similis qui dat mortalibus æqua

Dedit Grachus.

Ante eum Vix Iura nobis, vix Leges.

Eratque Iustitia quæ plurimum prodesset ei, qui plurimum posset. *Kadlubek.*

Ius ergo noster dixit, utrique parti læsæ & ledenti sanissimum.

Summos cum infimis pari lance retinens. *Cicero 2 de Offic.*

Præclarè & quod tu docuisti Stagyrita, hæc fecit.

Rex debet, & velit esse Custos, ut nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec pauperes contumeliam accipiant. *Aristoteles.*

Gracho autem regnante (ut inquit Kadlubkus) fuerat Iustitia quæ plurimum prodesset ei qui nimium posset.

Viderat in illa summa Fortuna licentiæ, id æquius quod validius. *Tacitus.*

Ac ideo fecit non fas potentes posse fieri, quod nefas. *Euripides.*

Licet autem justitiæ rigor non statim cæperit Imperare, *Kadlubek.*

An quia Festinandum hic lentius?

An quia Summum Ius, summa sæpe malitia, summa injuria, summa Crux.

Ex tunc attamen Polonia violentæ desiit subesse potestati.
Omnia hæc, mihi Grachum justum, quæ virtus decet maximè Principem.

Sapientes illud, sapienter.

Ego vero nullas opes Viro, ac præsertim Principi pulchiores honestioresque censeo quam Virtutem & Iustitiam.

Sed nec ille Politiei Ocellus, qui

Lipsius. Ius reddere, primum duxit munus esse Principis,
Quo munere Grachiano, quem belle Polonia refloruit Audi.
Dlugos. Provincia pace & quiete locuples effecta, Cives opibus aucti.

Illo ex justitiæ Sole, quanta & quam fælix Proles.

Pax, quies, Opes,

Cicero in Philip. Nomen horum dulce, res vero ipsa tum jucunda, tum salutaris

Ni à modo degenerent Opes præsertim.

Quæ opus sunt, & sine iis nihil fiet quod opus.

Tam in Republica quam Domi:

Nervo enim hoc, & hac vertebra non solum publica vigent, sed & privata.
E Principis tamen fæcunda mente pullulat seges hæc, si beatam Civium vitam propositam habeat.
Cicero. Vt ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Quem scopum si sibi præfixerit:
O natum Spei publicæ caput!
Agnosco, Veneror & Adoro.

Quid ni? Hic Pietas & Iustitia.

Augustus. Pietate autem & Iustitia Principes Dii fiunt.

Sub quibus Diis plusquam Aurea sæcula
Aureum mihi sæculum explicatius Dlugossius.

Sub Principe Gracho, in antiquis Civitatibus nova consurgebant tecta, & in vasta nemora, novæ ducebantur coloniæ: Ac deserta loca solitudinesque agricolis adornatæ.

Fructus is Pacis.

Marte

Marte tonante desperes Vrbium nitorem & incrementa :

Audi Poëtam loquentem.

Nihil relinquent bella, tum vastis ager *Seneca.*
Squallebit arvis : subdita tectis face,
Altus sepultas obruet Gentes cinis.

Adeo & hic olim Satyris Faunisque sedes, nunc in planitiem & agros abbiit Polonia. Et facti fertiliores hominum & segetum, quam arborum campi, cujus fælicitatis prima ac potissima pars fuit Grachus Princeps.

Pro cujus tam singularibus in Rempub. meritis,

Nomen Parentis Patriæ magnis per eum aucta incrementis, *Dlugossius.* detulit ei Polonia.

Addam & ego titulum Virtutis, quali olim Virgilius suum Æneam ornaverat nomine mutato.

Rex fuerat Grachus, nobis quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & Armis.

Breviori Elogio

Sine ruga Sine Nævo.

Merito itaque Patria dixit Patrem, quia sensit.

Neque vero sola Polonia in virtutes Grachianas liberalis.

Apud Populos quoque externos, insignis & inclitus habebatur. *Dlugossius.*

An quia Stare loco nescit, magni Principis gloria ?
An quia Proprium est Virtutis etiam ab hoste coli ?
An quia Dignum laude Virum Fama vetat mori ? *Horatius.*

En Hystoricos

Grachi ita inclaruerat fama & Nobilitas, ut Bohemia tota ei deditionem faceret, & sub ejus toto vitæ tempore degeret regimine & Principatu. *Dlugos. Cromerus. Vapevius.*

CAPVT

CAPVT IX.

Vrbs à Gracho condita: ac de ejus nomine Grachovia dicta: Monſtrum novam Vrbem infeſtans domitum, à Conditore, & occiſum. Rebus tandem Imperii compoſitis plenus dierum moritur ac more Romano ſepelitur.

A Gracho ſtructam eſſe Grachoviam Hiſtorici noſtri non obſcure notant

Dlugoſſius ante alios.

In edito inquit colle, qui ab incolis Wavel appellabatur, & quem Iſtula undis ſuis alluebat, latam planitiem in cacumine habente arcem Regiam conſtruxit: Deinde pro ejus firmiore ſubſiſtentia, amplitudine & decore, Vrbem illuſtrem haud procul ab Arce, irrigatam à flumine Iſtula fundat: eique à ſuo Nomine nuncupationem adoptans Grachoviam vocat.

Addit Dlugoſſius.

In hac Arce & Vrbe Thronum ſui Regni collocat, illicque Iura Polonis & Bohemis reddit, ac illam Metropolim, ac Primariam ſui Principatus deſignat, decernitque Sedem: Raro eoque naturali ſitu ſpem ſibi de magnitudine futuræ Vrbis non ambiguam promittendo.

Neque eum fefellêre Spes & Vota.

Velocibus enim incrementis Gracho vigente, Vrbs Cracovienſis conſurgere cæpit, & in eum ſtatum ac fortunas attolli, ut à vicinis Regionibus ejus ſorti invideretur.

Senſim omnia creſcunt, nec uno impetu Fortuna refloruit unquam.

Vbi autem floruerint, invidia laborant, quæ ſumma Sors fecit.

Invidia

Invidia vero & Adulatio quid aliud nisi Vermes in fimo nati, nil illis cum Cœlo & Polo? *Herbultus.*

Quid ultra Cromerus?

Quæ quidem Vrbs, è parvis illis, illius sæculi initiis, successu temporum ad eam quam videmus amplitudinem & splendorem, Principum posteriorum habitatione & favore pervenit; ut Mænium & Turrium fortitudine, ædificiorum publicorum juxta ac privatorum magnificentia, copia rerum, quæ non modo ad solum victum cultumque corporis, verumetiam ad luxum & voluptatem requirantur. Denique urbanitate & elegantia Civium & Incolarum cum Germanicis Italicisque Vrbibus certet: Inter totius autem Septemtrionis nedum Poloniæ Vrbes, facile teneat Principatum.

Ita prosperatas vult Deus eorum Regum cogitationes & consilia, qui summam vim mentis, in publicum utile videntur direxisse.

Vt non immerito de tali Principe dixeris illud Sacrum.

Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur. *Psalmus.*

Regum autem impiorum, & Tyrannorum ac Libertatis oppressorum Nomen, quo?

In terra putrescet: Et peribit memoria ejus cum sonitu.

Crusphiciam habes, ejusque Conditorem Popielum, cujus in corpore gloriam, mures ultrices corrosêre.

Sed quam haud verè olim dictum

Quod summis negatum sit stare diu; Videbis:

Vrbis enim novæ fælicitati, nova calamitas invidit.

Monstrum siquidem horrendum, informe, ingens; Waueliana educaverat in hominum perniciem Rupes.

Res sic habet.

Quam in gratiam Lectoris, numeris Heroicis adstrinximus.

Segnior Augusto surgebat pondere moles
Rupe jacens media Vauli, qua candicat ingens

Regia, creſcentes ſenſim diffuſa per undas.
Iamque apices notuêre Polo, manifeſtaque ſeptem
Tecta, oculis ſpectans nitidis Cynoſura fovebat,
Inſtabatque operi Grachus, legeſque labori,
Dicebatque modum; nunc his nunc addere curam
Illis ſolicitus. Fluitant qua juſſa ferentem
Cognoſcunt Dominum mentes, artiſque miniſtræ
Sudor; & ardentes aſtantis lumine dextræ
Principis, incumbunt ſaxis, ſylvaſque volutant
Pars cædunt, pars cæſa locant, pars mite ſuperbo
Ingenium ſaxo donat, rupeſque figuris
Entheat: Illachrimat venturi conſcius ævi
Autor opus, tacitoſque movens in cæca futuri
Secula dat animos, & quanto purpura faſce
Increſcet, cogitat quondam: magnuſque per omnes
Mente Duces graditur Lechicos, Regeſque perenni
Spe tenet: & toto complexus pectore Romam.
Terrarum Dominam, ſperat ſpiratque labori.
Aſt ubi perfecto gemuêre culmine rupes
Indomitique domus ſtetit ardua vertice ſaxi,
Teſqua, novum ſenſêre decus, ſenſêre cavernæ
Materiem preſſæ queritur graviore Vaüclus,
Membra Gygas ſylva premier, ſaxoque cubanti
Infrendet, damnatque Iovis fera bella, manuſque
Divæ ſentit onus nec totæ ſufficit Arci
Geſtandæ, ſociamque fidem ploratque juvamen,
Et videt ad nullos exciri Monſtra tumultus
Inarſit: lachrymis faciem grandique boatu
Implet humum; Mater cui nos Natura tuliſti
Servatos oneri? Pœnarum ſufficit una?
Quid geminat mortes iratus Iupiter? hoſtem
Si metuit? flammis rapiens & fulmine vitam
Expiet inviſam; dabimus cui poſcit honori.

At genitrix cæcos latebris meditata dolores
Intremuit, latè & diffuſum viſcere luctum
Conteſtata dedit, rapuit dolor improbus omnem
In furias animum, tu tu Saturnia noſtrum
Inquit onus metire Nefas? nova ſurgit in altum
Roma pari faſtu? quæ tanta licentia? Pape?
Influit jam Latium Lechiæ? Grachique ſuperba
Tecta manus te invita ſtruit? quæ fœdera Regni?
Quis color inviſo ſceleri? novus exul ab oris
Romuleis Sceptro Grachus dat Iura Polono?
O rerum faciem miſeram? Tu conſcia vultu
Immoto cogitata feres? ſenſumque ſuperba
Ambitione gravem? hic tibi forſan defuit hoſtis?
Dixerat: Illa vicem fatorum & jurgia queſta
Suſtine ô Tellus tantæ fundamina molis,
Tollam: Semirutis pendebunt Tecta cavernis
Et qua mente colant Divas, irata docebo
Grachitas; monſtro compeſcam: cladibus Vrbem
Afficiam gravibus, nullo cuſtode teneri
Inviſos patiar muros, & ſanguine Manes
Implebo: Ventremque trucem premet aſpera pœnis
Bellua; quas ultro quærunt, & damna ſequentur.
In nova monſtra pari, pars criminis illa favore
Tota vacet, poſito turgeſcant pectora faſtu.
Dixerat; & grandi monſtrum paritura receſſu
It Tellus; Adſtat ſpirans Saturnia vultu
Fulmineo: mentem monſtro, triſteſque furores
Solicitaſque minas, faciat, qua ferrea pluſquam
Bellua, belligero pertentans viſcera dente.
Et totam Lechiam, ventris compeſcat hiatu.
Luctificus oculus, nimiaque cupidine flammas
Eructans acies, olli: celeres in funera plantæ
Infernuſque color: tenebris ſuffuſus & atro

Sanguine, tartareus venter, quin membra venenis
Tincta rubent, crebris & ſquallent farta colubris:
Non tulit ignivomis rabiem fera bellua fibris,
Sed furit; & tota ſurgentem ſpe vorat Vrbem.
Concipit atque animos damnis; & improba ventris
Iurgia amens acuit: clades fremit ore cruento:
Et quærit furibunda boves, hominesque necandos:
Quin vorat; & querulos furialibus implicat artus
Dentibus; Vrbs votis ardeſcit, fervidus Aris
Plorat opem populus: & jam mortalia tangens
Corda, humilis terræ ſternit pavor: æſtuat alto
Mens ſuppreſſa malo: fugiunt hominesque feræque
Ipſe metus portas aperit: Pars abdita tectis
Protrudunt aditus Monſtri, denteſque repellunt:
Pars gemit; & fletu, ac nimio ſuffuſa timore
Vota canit Divis, & largo flumine vultus
Irrorat ſupplex: pars tundit pectora palmis.
Fœmineique ululant queſtus: pars funera natûm
Parſque virûm ſequitur mortes: pars Arma ſurenti
Objicit audacter monſtro: clamoribus inſtans
Tum jaculis vermem longis ſpiculiſque laceſſit.
Aſt ubi compreſſus furor eſt ſceleratus edendi,
Eſuriemque feram preſſit, quêis funera rupi
Intulerat monſtrum; nullam jam languidus Arti
Admiſcet dextram Civis, ſperatque futuro
Sole necem, & fati rabiem denteſque plagaſque
Spes vigil addit onus, trepidant nova funera Cives,
Inque dies majora timent, habitator inerrat
Iam proprio rarus tecto: ſylviſque tenetur.
Indoluit cladi Grachus, fatoque ſuorum
Non homines muris ratus, Civeſque futuros
Ni monſtrum rabiem ponens, ſævumque dolorem
Ventre premens, diro feralem corde furorem

Excludat, tollatque famem, vitæque miniſtra
Ilia ſoletur: præſtanti corpore Tauros
Tres jacit, & pingui diſtendit viſcera Monſtri
Funere taurorum; munus conſumit edendo.
Mandit hians, immane vorans, denteſque feroces
Viſceribus miſcere juvat, multoque cruore
Abluit iratas fauces, gaudetque vorando
Bellua: Iam rabiem viſa eſt poſuiſſe famemque
Sed non Vrbe metus jacuit trepidante, nec horror
Tandem uſura vorax, ventriſque immane tributum
Diſplicuit; Artiſque placent nova fulmina Craco.
Ergo funereos copioſo ſulphure Tauros
Infarcit, ventrique fero medicata miniſtrat
Corpora, quæ rabiem ſopiant, rabiemque venenent.
Hoc victu revocat vires, animoſque colubris
Beſtia, gorgoneo circumplaudente maniplo:
Aſt ubi concaluit, temerato in corpore virus
Pertentans rigido vitratas frigore fibras
Lentam concipiens labem, fera pabula lymphis
Expiat, & toto vix extinctura meatu
Iſtula, flammarum bibitur, mortiſque medela:
Sed dum tota ſitis rabioſo accenſa veneno
Funditur in fluvium, crepuit: ſparſitque cruore
Tabifico fluctus, vitamque ingrata reliquit:
Ingenio, æternum Grachi factura trophæum.

Sed nos Euripo Poëtico abrepti redimus ad te Lector.
Ne mirere fabellam: Epos enim ſcripſimus.
Nunc è noſtris Hiſtoricis aliquid meliori informatione
Et tu forſan ſcire requiris, quale fuerit illud monſtrum.
Belluam inſolitæ magnitudinis Draconis aut Holophagi ſpeciem habentem narrat fuiſſe Dlugoſſius
In eandem ſententiam eunt & alii Hiſtorici. Locum omnes indigitant Antrum, cujus & nunc extant, ſub Cracovienſi arce integra relicta veſtigia.

Dlugoſ. Ad explendam ejus eſuriem, jumenta pecorum aut armentorum præbita corripiens devorabat. Verum quoties illius ventrem, non reperti & non dati fœnoris diutius excruciaſſet rabies & fames; toties ſub clara luce diei, ad mitigandam ventris ingluviem cubili emergens, jumenta ſive juncta carpento, ſive aratro ſubjugata invadebat, ſuffocabat, ac devorabat: in quoſque etiam homines ſæviens ventrem horrenda cæde explebat.

Cromerus. Tandem juſſu Grachi interemptam eſſe belluam, cum corpora illi objicienda pice & ſulphure, fomite ſuccenſo, infarciri præcepiſſet, unde ignis conceptus viſcera illius torruiſſet.

Sed jam pallida Mors pulſat Herculis noſtri, monſtrique domitoris Turres.

Virgilius. Et magno turbantur nova mœnia luctu

Iamque vovit Summa dies Parenti Patriæ, & exacta ſcæna ultima Actus ultimi vitæ, Grachi noſtri.

Habes Chare Nepos Regni Tui Dioptram: Quæ ſi anguſtioris, quam par eſt (uti certe eſt) Tibi luminis viſa fuerit: Eam Tu auguſtiori, ampliorique quâ poteris luce luſtra & illuſtra.

FINIS.





nto-
llius
cru-
niti-
ſive
oca-
ven-

cor-
nfar-
tor-

e do-

a ul-

ngu-
ſfue-
e lu-